



64



JURIS  
FRAGMENTUM









87 3  
CHRISTIANI THOMASII, ICTI,  
S. R. MAI. PORVSS. CONSILIARII INTIMI, ACADEMIÆ FRIDERI-  
CLANÆ DIRECTORIS, PROFESSORIS IVRIS PRIMARII, AC FACVL-  
TATIS IVRIDICÆ ORDINARII,

TRACTATIO IVRIDICA 3.

DE

VAGABVND0,

SEV EO, QVI EST

SINE

DOMICILIO,

*Occasionel. 27. §. 2. ad municip.*

OLIM MENSE DEC. MDCLXXIX. LIPSIAE HABITA.



*Francofurti & Lipsiae*

APVD IMMANVELEM VOGTIUM, MDCCXXXI.



CHRISTIANI THOMASII, ICI  
S. R. M. G. TORV. CONSILII INTIM. ACADEMIE TRIOR.  
CIAM DIRECTORIS HONORIS NIS PRIMARII AC FACUL.  
TATIS LIBER. ORDINARI.

TRACTATIO VINDICA  
DE

VAGABVNDIS

SEV EO, QUI EST  
SINE

DOMICILIO

Occasione 27. 2. administrat.  
OMN. DIEBUS DEC. MDCCXXIX. LIBRA HABITA



FRANCOFURTI & LIPSIÆ  
VAPOR IMMANSUELUM VOCTIVM, MDCCXXIX







## PRAEFATIO.

**H**Abebatur die 23. Decembr. Anno 1679. Disputatio publica Lipsiæ de Iuribus Vagabundorum, in qua cum opponerem, deprehendebam, ICTos vocem Vagabundi maxime ambigüe vsurpare, & adeo non posse non in enarrandis iuribus Vagabundorum mirum in modum inter se dissentire. Cum vero postea priuatim distinctum conceptum de vagabundo formare mihi vellem, sensi multa præiudicia ex non recte exposita doctrina domicilii, definitionem Vagabundorum irrepisse. Vnde intendenti mihi conscribere dissertationem de iuribus Vagabundorum, materia circa solam definitionem sub manu creuit, vt eam solam publice exhiberem. Iura Vagabundorum ipsa non elaboravi. Subiunxi tamen in hac editione ipsam disputationem Professoris Lipsiensis cum scholiis nonnullis, ex quibus facile patere poterit, quænam sit mens mea de iuribus Vagabundorum. Cum vero apparuit vox Vagabundi in titulo, sed eius Synonymon Græcum. Qui enim Latinis vagabundus dicitur, is Græcis ἀνεστησ is est. Causam facile ex dictis initio diuinare poteris, qua iam cessante græcam vocem tanquam obscuriorem, nec satis cognitam hic expunxi.



CAPVT I.  
DE  
DOMICILIO EIVSQUE  
SPECIEBVS.

SVMMARIA.

*Occasione l. 27. §. 2. ad municip. §. 1. queritur: quis dicatur sine Domicilio? §. 2. Explicatio Glossæ §. 3. & 4. Transitus ad tractationem de Domicilio §. 5.*

*Domicilii homonymia & acceptio triplex §. 6.*

**I. Latissima** Dn. Schilteri, vt sub se comprehendat Domicilium bonorum §. 7. que reicitur §. 8. & obiectioni Dn. Schilteri §. 9. respondetur §. 10. & 11. Nouæ instantiæ Dn. Schilteri §. 12. satis sit. §. 13. vbi explicatur l. 2. C. vt Senat. & Clariss. §. 14. Conciliatur Franzkius nobiscum §. 15. Exponitur l. 17. §. 13. ad municip. §. 16. ac denique ad instantiam de foro simultanee inuestitorum respondetur §. 17.

**II. Lata** domicilii acceptio, vt prædicetur etiam de Domicilio originis §. 18. reicitur a Dn. Strauchio §. 19. defenditur a Dn. Schiltero §. 20. Diuisio Domicilii secundum B. Eckoltum §. 21. a quo recedunt alii §. 22. vt Franzkius, cuius diuisio exhibetur §. 23. atque hæc due diuisiones inter se comparantur §. 24.

**III. In stricta** significatione Domicilium definitur ac diuiditur in iuris & facti: iuris in necessarium & voluntarium §. 25.

*Necessarium iuris* definitur §. 26. Eius species 1. Relegatorum §. 27. 2. Libertorum, §. 28. 29. 3. Militum §. 30. 31. 32. (Explicatur l. 23. §. 1. ad municip. §. 33.) 4. Vxoribus §. 34.

*Voluntarium iuris* Domicilium describitur §. 35. Eius species. 1. Filiorum familias §. 36. 37. 2. Viduarum. §. 38. 3. Senatorum §. 39.

*Facti Domicilium* quid. §. 40.

*Exhibetur diuisio* nostra in schemate duplici §. 41.

*Examinatur diuisio* B. Eckolti. 1. an vrbs Roma sit Domicilium commune? §. 42. 2. an Domicilium recte diuidatur in originale & accidentale? §. 43. vbi exponitur homonymia Domicilii originis §. 44. admittitur diuisio in sensu positiuo, §. 45. quam tamen non videtur in mente habuisse B. Eckolt. §. 46. Reicitur, si sumatur in sensu oppositi-



no §. 47. & ad l. n. de Senat. respondetur §. 48. 49. item ad defensionem Dn. Schilteri in §. 20. §. 50. ac denique ostenditur differentia Domicilii originis in sensu positivo ab altero in sensu oppositua §. 51. (Explicatur hac occasione l. 6. §. 1. ad municip. & ex ea quaestio proponitur: An filius in origine patris, an in Domicilio paterno, an in loco natiuitatis forum originis habeat? §. 52. Negatur quaestio de loco natiuitatis §. 53. Quoad locum originis aut Domicilii paterni ostenditur falsa dubitandi ratio §. 54. distinguitur inter Ius Civile & mores nostros. De iure civili pro foro originis paternae quaestio deciditur §. 55. quia forum originis est immutabile, quod declaratur per exemplum §. 56. Notatur opinio Glossae, Carlevalii, & aliorum §. 57. horumque errores deteguntur §. 58. & 59. Respondetur ad ipsorum dubium, & an in determinatione fori originis vsque ad Adamum ascendere habeamus opus? §. 60. Ostenditur, quomodo de Iure civili forum originis cuiuslibet attribuendum sit. §. 61. Forum originis mutatur dupliciter. §. 62. Primo ob impossibilitatem probationis §. 63. Deinde ob capitis diminutionem mediam §. 64. Quoad mores nostros quaestio deciditur pro neutro, quia forum originis hodie exoleuit §. 65. Notatur B. Carpzov. Dec. i. n. 18. §. 66. Exponitur casus & sententia Dnn. Scabin. ap. Carpzov. d. l. n. ult. §. 67.) 3. an Domicilium Senatorum sit Domicilium necessarium? §. 68.

Examiniatur decisio Franzkii, an recte forum, quod aliquis ex persona alterius nanciscitur, Domicilio opposuerit? §. 69. ubi 1. de Herede explicatur l. 19. de iudic. & ostenditur Domicilium defuncti ad heredem non transire §. 70. ac rationibus Habnii §. 71. respondetur §. 72. & 73. 2. Defensor non acquirit Domicilium defensi, §. 74. 3. Libertorum, 4. Vxoribus & 5. Viduarum forum non recte Domicilio opponitur §. 75. 6. Serui nec forum nec Domicilium ex persona Domini sortiuntur §. 76. respondetur ad l. 3. C. ubi causa status & c. §. 77. Concluditur caput primum §. 78.

## §. I.

**S** Aluius Iulianus, magnae existimationis vir & disertissimus Ictus l. 5. C. de bonis, quae lib. ac Praetorii Edicti perpetui ordinator l. pen. C. de cond. indeb. dum libro 2. ad Edictum varias quaestiones de municipiis & foro Domicilii ex parte in l. 27. ff. ad municip. relatas tractat, inter alia §. 2. d. l. 27. illam quo-



que expendit controuersiam: *an possit quis duobus locis domicilium habere?* Quam pro affirmatiua definiens, *verum est, inquit, habere, licet difficile sit*, quemadmodum difficile est sine domicilio esse quemquam. Puto autem & hoc procedere posse, si quis domicilio relicto nauiget, vel iter faciat quærens, quo se conferat atque vbi constituat. Nam hunc puto sine domicilio esse.

§. 2. Priorem de domicilio duplici quæstionem, vti in præfenti non curo, ita de altera, quam in prioris illustrationem affert ICTus, videbantur omnia plana esse, cum Iulianus sat perspicuis verbis ostendat, *quis dicatur esse sine Domicilio?* vt adeo & Dd. si hæc incidat quæstio, verba ICTi, pressio pede sequantur, & plerumque ne literulam quidem iis addant, sententia eius vt clarissima contenti. *Conf. ex multis Perez in Cod. de incolis lib. 10. n. 7. p. m. 345. & seq.*

§. 3. At non ita Glossa, quæ add. l. 27. §. 2. verb. domicilio de verborum istorum intellectu ingentem mouet controuersiam. *Sic aliquis est, inquit, sine domicilio, & ratione originis quis habet domicilium, vt supr. l. 1. in pr. ergo originem propriam potest quis derelinquere, & sic est contra l. assumptio in pr. eod. & l. & qui originem de mun. & honor. Solue, dicunt quidam, quod aliud est origo, & aliud est Domicilium, cum primum ex necessitate & deseri non potest, secundum ex voluntate constituitur & retinetur, vt supr. eod. l. libertus §. Patris. Et secundum hoc non sequitur: hic habet originem, ergo habet domicilium, licet sequatur, ergo est municeps, vt supr. l. 1. Et ita hic de Domicilio, non de origine dicit.*

§. 4. Hoc non placet (pergit Glossa) Nam qui originem habet, E. & Domicilium. Vnde etiam infantes statim habent Domicilium, vt supr. l. assumptio in fin. & l. filii pr. Vnde dic, quod hæc terra suæ originis chasmate periit, vel capta est, vt Troia, vt arg. supr. de relig. l. cum loca. Vel passa est aratum vt Carthago, vt supr. quibus mod. v. usufr. amit. l. si usufructus Ciu. vel omnes recesserunt, & sic est inhabitabilis, vt arg. supr. de coll. illic. l. 3. in pr. vel etiam per priuilegium definit. supr. eod. l. filii §. Senator.

§. 5. Omnis hæc difficultas, quam Glossa mouet, vel quæ mouit



movit Glossam, haud dubie ex ambiguitate Domicilii provenit. Quapropter ne circa praesentis Dissertationis obiectum, *de iis, qui absque Domicilio sunt*, in cassum laborem, brevissimis de Domicilio, eiusque speciebus agam, eamque doctrinam caeteris praemittam, vt ex opposito materia nostra maiorem lucem capiat.

§. 6. Quemadmodum autem certissime constare puto, Domicilium hic non sumi pro aedificio, quod ad differentiam Domicilii domus appellatur: *l. plerique ff. de in ius vocand. L. qui in domum ff. de iniuriis*. (Nam & domus sine domicilio, & domicilium sine domo esse potest. *arg. l. 17. §. 13. ad Municip. Besoldus de Process. iudic. §. 8.*) Ita omnis aliis aliorum distinctionibus, quae videri possunt. *ap. Eckolt. ad ff. i. ad Municip. §. 9. Frantz. ad ff. de iudicis. n. 15. & seqq. Schilter Ex. 13. ad ff. §. 22. Schütz in comp. iuris tit. de iudic. p. m. 78. Struu. Ex. ad ff. §. 9. §. 13. seqq.* dico: domicilium a DD. potissimum sumi tripliciter; *latissime*, vt praeter domicilium habitationis sub se comprehendat etiam domicilium originis & bonorum: *late*, vt omisso bonorum domicilio, de prioribus duabus speciebus praediceretur, & *stricte*, vt solum habitationis domicilium denotet.

§. 7. *Latissimam* acceptionem suppeditat Magnif. Dn. Schilter *d. l. vbi domicilium originis atque bonorum* contra differentes conatur defendere. Posterius autem (nam de domicilio originis dicemus §. 19. & 43.) dicit esse locum, *vbi aliquis bona sua aut maximam eorum partem sitam habet*.

§. 8. At quod pace Viri Excellentissimi dixerim, & Iuri Civili & vfiu Fori nostri conuenientior videtur Cuiacii *alleg. a Dn. Schiltero d. l. §. 23.* & aliorum opinio, qui domicilium bonorum expungunt. Praeterquam enim quod hoc domicilium bonorum a foro rei sitae (diuerso a domicilii foro, eique ex communi DD. & ex ipsius Domini Schilteri *d. l. §. 22.* sententia contradistincto) reuera non differat, nec forum aliquod nisi in actionibus reallibus tribuat *l. vlt. C. vbi in rem. act. Frantzk. d. l. n. 27. Carpz. in Process. i. 3. a. 3. n. 6.* vel certe in actionibus in rem scriptis. *Frantzk. ad tit. de in integr. rest. n. 34. Struu. Ex. §. 51. Carleual. de iudic. tit. i. D. 2. n. 151.* satis aperta est sententia *l. 17. §. 18. ff. ad municip.* solum domus possessionem in ciuitate aliqua domicilium non facere.



facere. Accedit, quod contraria opinio neque textu, neque rationibus nitatur.

§. 9. Vrget equidem Dn. Schilterus d. §. 23. *naturam habitationis recte & alius penetrandam esse: non enim illam tantum habitationem dici, quam quique actu secundo sibi constituit, sed illam quoque, que in actu primo, aut potentia proxima consistit, id quod fiat constitutis alicubi bonis suis aut eorum parte potiori, ut quoties velit, ibi habitare actu ipso possit, velle quoque presumatur, cum nemo suum iactare, aut custodiam rerum suarum negligere velle videatur. Que porro actu sunt saltem primo, de eorum existentia atque natura dubitare non licere.*

§. 10. Sed his reponere licebit illud Metaphysicorum principium: a potentia, etiam proxima, ad actum & existentiam argumentari non licere. Neque etiam probatum est, habitationem de potentia habitandi proxima vllibi venire, nec exinde, quod nemo custodiam rerum suarum negligere aut suum iactare presumatur, illa statim fluit presumptio, quod quis in eo loco, vbi potissimum partem bonorum habet, habitare quoque velle censendus sit, si nempe iam in alio loco quis habitet, & domicilium habeat; (nam de hoc casu est quæstio, cum domicilium bonorum a domicilio habitationis distinguat D. Schilter.) *Vid. Vultium, Menochium, Riminaldum, a Struuio d. Ex. 9. §. 25. allegatos, quia tunc per procuratorem aut alio modo res istæ custodiri atque administrari poterunt.*

§. 11. Porro quamuis per fictionem iuris actus primus quandoque pro secundo veniat, dum v. g. nascendus pro iam nato habetur l. 7. ff. de stat. hom. §. 7. l. de iur. cingendus pro cincto l. pen. de mili. testam. absolvendus item pro absoluto, & condemnandus pro condemnato l. 8. §. 2. de manum. Vereor tamen, ut hoc contra sententiam nostram aliquid faciat, quia causa fictionum lex sola est, non priuatus l. 8. de castr. pecul. l. 6. ad municip. arg. l. 54. de O. & A. Menoch. de præf. 9. 8. n. 18. Iam autem §. 8. dictum est, contrariam sententiam lege destitui.

§. 12. Instat Dn. Schilterus d. l. *Sed & effectus iuris idem ostendere. quos exerit habitatio illa primi generis (nempe in actu secundo) quod quis in actionibus mere personalibus ibi forum for-*  
*uiatur,*



*tiatur, ubi maximam fortunarum suarum partem constituit. Frantz. lib. 1. Resol. 16. n. 15. & 30.*

§. 13. Negauimus hoc assertum iam supra §. 8. per textum & DD. vt adeo quamuis & alii forte a Frantzio *tit. de iudiciis n. 27.* allegati cum Schiltero faciant, eorum tamen authoritas absque textibus iuris nos haud commoueat.

§. 14. Nec est, quod in subsidium voces *l. 2. C. ubi Senat. & Clariss.* in qua *Senatores in pecuniariis causis* (quæ etiam personales sunt) *ubi larem fouent* (h. e. ubi domicilium habent, *Gothofr. ad d. l. 2. Cod. lit. B.*) *AVT ubi maiorem bonorum partem possident & assidue versantur, iubentur respondere.* Siquidem expresse possessio maioris bonorum partis habitationi actuali per particulam *ET* iungitur, pro qua non opus est, vt particulam *AVT* iterum substituamus cum Menochio, & ita vim inferamus textui. *Vid. Perez. ad d. tit. C. §. 2. Brun. ad d. l. 2.* Iam autem §. 12. diximus nos hoc loco de eo casu quærere, si quis bona in aliquo loco habeat, neque ibi versetur assidue seu habitet.

§. 15. Præterea nec Frantzkius pro Dn. Schilt. quicquam facit, cum eundem iam supra §. 8. pro nobis allegauerimus. *Et in libro 1. Resol. 16. n. 15. & 30.* (quem Dn. Schilterus §. 12. allegabat) dicit solum, quod pupillus a Magistratu loci, ubi maior bonorum pars sita est, tutorem accipere possit, cum ibi domicilium contrahere *conferatur*, adeoque de domicilio habitationis præsumpro agit, de quo iterum non sumus solliciti, vt pote de domicilio bonorum, habitationis domicilio contradistincto quærentes *per d. §. 10.*

§. 16. Quod si quis ad *d. l. 17. §. 13. ff. ad munic.* pro nobis §. 8. allegatam, respondere velit, eam loqui de domo saltem unica, non de maiori bonorum parte, quam responsonem nescio, an non in mente habuerit Dn. Schilt. *ad d. n. 15. Resol. 16. Frantz. kii pronocans*, illi vnicum istud repono: quantitatis per se nullam esse efficaciam.

§. 17. Denique nec obstat, quod de vsu nonnullorum iudiciorum, simultanee inuestiti alibi domicilium habentes eorum Domino feudi actionibus quibuscunque etiam personilibus conueniantur. *Struu. d. Ex. 9. §. 54.* Hoc enim contra aut



certe præter Iuris communis regulas factum, adeoque speciale esse, latius docet Carpzou. *lib. 6. Resp. 115.* imo in aliis simultaneam hanc inuestituram ius domiciliu haud tribuere ostendit idem *lib. 2. Dec. 179.* Ut taceam, simultanee inuestitos maiorem bonorum partem etiam extra territorium Domini Feudi habere posse.

§. 18. Reiecto itaque ex latissima domiciliu acceptione domiciliu bonorum, transeo ad *latam*, quam Donello tribuit Struuius *d. Ex. 9. §. 14. & 20.* eamque cum Glossa, *supr. §. 4. &* multis aliis sequuntur Eckolt, Frantzk. Schütz. *loc. §. 6. citat.;* sed improbant eam strictamque amplectuntur Dn. Strauchius *Disp. 21. ad ff. ib. 15. &* Struv. *d. §. 20.*

§. 19. Errant interpretes inquit Dn. Strauch. *hodie ridicule,* dum domiciliu diuidunt in originis & habitationis. Quasi origo domiciliu, quod sola habitatio inducit, conferre possit. Et opponitur hæc duo perpetuo in iure, origo & domiciliu, ut diuersæ species *l. 6. §. 1. l. 27. pr. ibi. non domiciliu, sed patriam l. 3. C. de municip. l. vlt. C. eod. origo patriam, domiciliu incolatum tribuit l. 7. C. de incol. l. 4. C. eod. Ex origine ergo sine habitatione non datur domiciliu: in loco originis ex habitatione dari domiciliu potest.*

§. 20. Contra prolata ita Dn. Schilterus *d. l. §. 22.* (Autorem, quem refutat dissimulans) *Videtur,* inquit, *hodie domiciliu originis nullum esse, quatenus domiciliu habitationis contradi-* *stinguatur, eo quod domiciliu essentia in habitationis constitutione,* & solo incolendi actu, haud quaquam vero nascendo constiui videatur. Verum enim vero non est, quod in dubium vocemus id, quod non modo iuris recepti est, sed cuius ratio etiam non usque adeo obscure apparet. Sane quin nascendo regulariter sortiamur aliquam habitationem, eandem nempe, quam Pater sibi tunc temporis constituit, & quam ob id Patriam atque natale solum, omnibus merito dulcissimum, appellamus, haud ambigim, credo, cum alias etiam difficile sit, sine domiciliu esse quemquam *l. 27. §. 2. ff. ad municip. omnemque dubitationem tollit, quod quoties de alicuius domiciliu dubitatur, communi omnium sententia præsumatur in origine seu patria domiciliu fuisse retentum. - Igitur extare aliquod originis domiciliu oportet. Quare sic habendum: habitationem ratione*



*zione cause efficientis duplicem esse, aliam originariam & a parentibus quaesitam atque ad natos transmissam l. 1. §. 2. ff. ad municip. l. 6. §. 1. eod. - - aliam voluntariam atque a quolibet sibi ipse constitutam, totuplex igitur & domicilium, eiusque forum.*

§. 21. Antequam meam de domicilio originis proponam sententiam, paucis exhibenda subdivisio domicili habitatio- nis, originis domicilio ex communi sententia oppositi, a qui- busdam instituta. Ita autem Eckolt, eumque secutus Schütz

§. 6. allegati, procedunt: Domicilium est vel

- { Commune, *vrbs Roma &c.*
- { priuatum seu proprium idque vel
  - { Naturale seu originale
  - { Accidentale, & hoc est
    - { *Necessarium, Relegatorum, liberti, militum,*
    - legitimæ vxoris, Senatorum:*
    - { *Voluntarium. l. 7. C. de incol.*

§. 22. In hoc schemate domicilium *commune* poterit ad domicilium originale referri *vid. infr. §. 42.* Deinde domicili- um *voluntarium* est illud ipsum, quod alii vocant *habitationis* domicilium. At quoad *necessarium* ab allata diuisione secedunt alii, illud ne quidem sub domicilio comprehendentes, sed ei- dem tanquam genus diuersum opposentes.

§. 23. Exemplo fit *Frantzkius d. l.* forum diuidens in id, quod aliquis fortitur ex iure

- { Singulari
- { communi & quidem vel ex persona
  - { *alterius, vt hæres, defensor, libertus, seruus,*
  - vidua*
  - { propria, idque vel
    - { per se sc. per *domicilium*, quod
      - { commune
      - { proprium seu priuatum & hoc
        - { naturale siue *originis*
        - { accidentale seu *habitationis*, quod
          - { quis propria *voluntate* constituit
    - { per accidens sc. ratione contractus, delicti, rei sitæ &c.



Eadem via incedit Dn. Strauch. *loc. cit.* nisi quod propter domicilium originis *supr.* §. 19. reiectum) aliquid immutet; statuens, forum iure communi ex persona propria aliquem per se nancisci, vel ratione domicilii tam communis, quam proprii, vel ratione originis.

§. 24. Conveniunt hæc duo schemata inter se, quod utrumque distinguat domicilium *commune* a domicilio *originis* & *habitationis* quodque *domicilium proprium* in *naturale* & *accidentale* diuidat: disconveniunt, quod posterius contradistinguat domicilium *necessarium* prioris schematis *domicilio* in genere, quasi domicilium omne quis nanciscatur ex persona propria, illud necessarium vero ex persona alterius. Sed in eo tamen conveniunt iterum, quod utrumque separet domicilium necessarium (stylo Eckolti) seu forum, quod aliquis ex persona alterius accipit (stylo Frantzkii,) a domicilio naturali seu originis. Quod eo magis mirandum in Frantzkii schemate, domicilium naturale speciem facientis eius fori, quod aliquis nanciscitur ex persona propria, cum tamen forum originis quis sortiatur ex persona patris *l. 6. §. 1. ad municip.*

§. 25. In hac opinionum varietate veniam spero, si pro fundamento discursus præsentis ab his omnibus abstraham, inique nullius Autorum præfatorum verba iurem. Quapropter ut vna fidelia duos quasi dealbem parietes, & de domicilio *originis* pariter atque de domicilio isto *necessario* meam mentem exhibeam, ita procedo. Domicilium in genere est status aduentitius ex loco habitationis ortus, iuxta quem homini in civitate ius redditur. Causa constituens domicilii duplex est, vel intra hominem, vel extra eum. Intra voluntas hominis sibi relicta, extra ius civile. Nascitur inde domicilium duplex: *facti* alterum, alterum *iuris* (si modo caueas, ne hæc vocabula confundas cum Befoldi distinctione §. 8. de *process. iudic. lit. M.* longe aliter eam explicantis.) Porro ius civile vel ita alicui de domicilio providet, ut illud quamvis volens detrectare haud possit, vel ita, ut si placeat, ipsum immutare queat. Domicilium ergo iuris duplex est, vel *necessarium* vel *voluntarium conf. infr.* §. 47.

§. 26. *Necessarium iuris* domicilium est status ex loco, quem



quem Ius Ciu. etiam contra voluntatem alicui ad perpetuo habitandum (quam diu in isto statu manet) assignat, ortus.

§. 27. Huius domicilii species trado sequentes. 1. *Relegatorum*, qui in insula, in quam iuxta mores antiquos quandoque relegabantur, *domicilium necessarium* accipiebant, per expressum text. *l. 22. §. 3. ff. ad municip.*

§. 28. 2. *Libertorum*, qui non tantum originem Patroni, sed & domicilium ipsius sequuntur, & vice versa *l. 6. §. 3. l. 22. pr. ad Municip.* ex quibus textibus colligo, ita etiam explicandam esse *l. 27. pr. eod.* (vbi dicitur, quod manumissus sequatur eius, qui manumisit, non *domicilium*, sed patriam) vt pro *non legatur non tantum* vid. *Gloss. ibid. lit. N.* Sed & hanc siue textus correctionem (a qua alias abhorreo) siue verborum intellectum, efflagitant verba statim sequentia, quibus libertus duarum ciuitatum municeps dicitur, si Patronum habeat duarum ciuitatum municipem. Necessè siquidem est ad minimum vnã harum ciuitatum esse domicilium Patroni, cum duplicem patriam, in qua municeps sit, nemo habeat. Conf. simile exemplum in *l. 5. §. 2. de iniuriis.*

§. 29. Domicilium hoc Libertorum ideo *necessarium* dico, quoniam non memini legisse, quod liberti pro lubitu domicilium hoc mutare potuerint. Quamuis enim Gothoff. *ad d. l. 27. pr. lit. Z.* notet: manumissum ibi municipem esse, vbi manumissor municeps fuit, *nisi libertus alibi domicilium constituerit*; hæc tamen limitatio *d. l. 27. pr.* vt quidem vult Gothofredus, haud est consentanea, & tamdiu de ea dubitare nobis licebit, donec monstretur textus.

§. 30. 3. *Miles* ibi domicilium habere videtur, vbi meret, si nihil in patria possideat, verba sunt *l. 23. §. 1. ad Municip.* quam lectionem retineo, nec pro *si* cum Glossa & Holoandrina, (vid. Gothoff. *lit. M.*) substituo *etsi*. Nam tum demum miles, si nihil in patria possidet, videtur se totum militiæ addixisse cum animo perpetuo ibi manendi, nec alibi, quam vbi militem agit, domicilium habere. Sin vero bona in patria possideat, ac ibi rerum suarum constitutionem fecerit, non censetur in loco, vbi militat, domicilium & animum ibi perpetuo manendi habere,



sed solum militiae causa ibi viuere, vti ex Colero hunc textum explicat *Struuus. d. Ex. 9. §. 23. n. 3.*

§. 31. Etsi ergo hodie multi sint milites, qui nihil in patria possident, non tamen inde sequitur, quod hodie milites solum, vbi merent, domicilium videantur habere, vult Perez. *ad tit. C. de Incol. n. 16.*

§. 32. Præterea quamuis indistincte milites coram magistratu militari conueniantur, eapropter tamen nihil obstat, quo minus alio in loco domicilium habere possint, a quo quoad Iurisdictionem & alia onera sunt exempti. *conf. Struu. d. Ex. 9. §. 59. n. 3.* Aliud enim est *domicilium* in militia habere, aliud, *forum ibi nasci.*

§. 33. Neque solius priuilegii gratia militi, qui nihil in patria possidet, *domicilium* hoc concessum est, nec verba *habere videtur* in *d. l. 23. §. 1.* illud euincunt, vt miles in dubio saltem videatur Domicilium ibi habere, & pro lubitu inde abstinere queat, si *declaret*, se nolle hoc domicilio vti. Nam quemadmodum is miles, qui aliunde domicilium habeat, ipsa domicili onera, quamuis velit, suscipere prohibetur *arg. §. 14. l. de Excus. Tur.* Ita multo minus ille, qui nullum aliud agnoscit domicilium, hoc quod a iure ipsi constitutum est, detrectare potest, quoniam per iuramentum stationi suæ adstringitur, nec ab ea, quamdiu miles est, pro lubitu potest discedere. Quapropter etiam hoc militis domicilium inter  *necessaria* a me fuit relatum, ac particula *videtur* in *d. l. 23. §. 1.* non in proprietatis nec præsumptionis, sed proprietatis & veritatis nota est. *conf. Strauch. de parric. Iuris in verb. videtur p. 272.*

§. 34. 4. *Vxor*, quia non potest separatim a marito habitare, & hic vxoris simul ac totius familiae caput est, ideo & mariti *domicilium necessarium* sequitur *l. vlt. C. de incol. l. 65. ff. de Iudic. cuius domus adeo matrimonii domicilium dicitur in l. 5. ff. de Rit. nupt.*

§. 35. *Voluntarium Iuris* domicilium est status ex loco, quem Ius ciuile præter voluntatem expressam alicui ad habitandum, quamdiu velit, constituit, ortus.

§. 36. Huc spectant 1. *Filii familias*, qui quidem, si de alio domicilio non constet, tam diu censentur retinuisse *domicilium* habi-



habitationis paternæ arg. l. 3. & 4. ff. ad municip. l. 17. §. 11. eod. Carpzov. Dec. 1. Mascard. Conc. 535. n. 1. Quod si autem pubes euaserit, ipse domicilium sibi constituere potest d. l. 3. & 4. ad municip.

§. 37. Meliorisne ergo, inquis, conditionis est filiusfamilias præ matre, etsi magis in potestate iptum habeat pater, quam uxorem? Et ergo si vxor non potest mutare domicilium, quæ tamen sui iuris est, cur de filiofamilias, qui patriæ potestati subiectus est, non idem pronuntiamus? Sed salua res. Nam vxor a marito ob firmissimam matrimonii vnionem nequit habitare, quæ ratio cum in filiofamilias non adfit, inde nec eadem iuris adest dispositio. Quoad mores hodiernos autem & de iure Saxonico, vbi filiusfamilias separata habitatione viuens desinit esse sub potestate Patris, minor apparet dubitandi ratio. Neque tamen secundum hoc ius domicilium filiofamilias statum mutet ad necessarium referri debet, quia necessitatem hic non respectu status, sed respectu subiecti consideramus. vid. *supr.*

§. 25. §. 38. 2. Vidua quamuis mortuo marito ipsius retineant domicilium, donec ad secunda vota transeant l. 22. §. 1. ad municip. l. vlt. C. de incol. non tamen dubium est, quin, si illud etiam ante secundas nuptias mutare velint, possint, tum ob cessantes rationes, quæ dum viro iunctæ adhuc erant, necessitatem domicilii imponebant ipsis per §. 34. tum quod magis per modum priuilegii hoc viduis indultum censeatur arg. ad. L. L. quam per modum præcepti. At priuilegii renunciari potest, quemadmodum reuera renunciationis quædam est species, si alii nubant. De illo tamen dubito, an viduæ, si post mortem mariti ad pristinum domicilium redeant, solo reditu censeantur renunciaisse mariti domicilio (quod velle videtur Peretz. in C. de incol. n. 11. in f.) Sane mutatio domicilii, quæ facti est, non præsumenda vid. §. 63. & contrarium elegantireponso docet Richter. de success. ab intestat. in præmio n. 37.

§. 39. 3. Senatores in vrbe domicilium habent, l. pen. ff. de Senat. quam non incommode de eo intelligimus (cum Bachouio



chouio in *peror. ad d. l. pen. p. m. 302.* ob rationem §. 49. dicendam) qui honorarius Senator est, & ornamenta senatoria tantum & titulos acceperit, quod sub Imperatoribus non erat infrequens. Quemadmodum autem non obstante hoc domicilio vrbis Romæ, illud domicilium, vbi oriundi sunt, Senatores retinent, quia dignitas domicilii adiectionem potius quam permutationem dedisse videtur *d. l. pen.* ita neque hoc domicilium, cum priuilegii imaginem habeat, inuito videtur esse obrudendum. *conf. §. 68. Non obstat l. 22. §. 4. 5. 6. ff. ad municip.* Nisi dicere velis, quod beneficiis & priuilegiis, quæ personalia non sunt, sed toti alicui ordini & collegio indulta, renunciari non possit a singulis, quam regulam tradit Carleual. *de iudic. t. 1. D. 2. n. 467.* quæ tamen & ipsa suis difficultatibus haud caret.

§. 40. Hastenus de domicilio iuris. Sequitur *domicilium facti*, quod est status ortus ex loco, vbi quis sponte habitat eo animo, vt inde rursus non sit discessurus, si nihil auocet, *l. 7. C. de incol.* quodque a deo & animi destinationem & actualem habitationem ad sui essentiam requirit. *Struv. d. Ex. 9. §. 21.*

§. 41. Vt in vno conspectu diuisionem meam exhibeam, schema esto sequens: Domicilium est vel

{	Iuris, idque vel	
{	Necessarium: Relegatorum, libertorum, Militis,	
	vxoris.	
{	Voluntarium: Filiisfam. Viduæ, Senatoris.	
{	Facil. 7. C. de incol.	

Vbi tamen illud moneo, quoniam *supr. §. 25.* dictum, quod causa constituens in domicilio facti sit voluntas hominis sibi relicta, ex quo sequitur, quod omne domicilium facti sit simul voluntarium: hinc duæ hæc domicilii diuisiones ita sunt implicatæ, vt ex subdiuisione prioris schematis possit fieri diuisio principalis, & ex diuisione generali subdiuisio, si ita dicas: domicilium est vel

{	Necessarium, Relegatorum, Libertorum, militum;
	vxoris.
{	Voluntarium, & hoc vel

Iuris,



- { Iuris, (seu voluntatis a iure præsumtæ) filii fam.  
viduæ, Senatoris.  
} Facti, (seu voluntatis per verba aut facta expressæ)  
quod §. 40. descriptum.

Porro quoniam *domicilium illud iuris voluntarium* mixtam quasi causam habet, Ius ex parte, ex parte hominis voluntatem, inde si a diuisione bimembri abstinere velis, posses rem vno intuitu ita exprimere: *domicilium est vel iuris, vel facti, vel mixtum.* Aut: *domicilium est vel necessarium, vel voluntarium, vel non necessarium.* Hoc enim a pure voluntario & necessario eo modo differt, vti non iniustum seu licitum a iusto & iniusto. *conf. Grot. de I. B. & P. lib. 1. C. 1. §. 3.*

§. 42. Habes de diuisione domicilii sententiam nostram, ex qua facile erit diiudicare, quid in aliorum diuisionibus desideremus. Assumamus schema §. 21. vbi i. non placet, quod vrbs Roma pro *domicilio communi* allegatur. Quamuis enim in l. 33. ff. ad *Municip.* dicatur, quod Roma communis nostra Patria sit, inque ea cæteris paribus Ciues Romani conuenire poterint l. 2. §. 3. 4 & 5. l. 24. ff. de *iudic.* inde tamen solum in id sequitur: Romam quidem fuisse speciem *fori* competentis, at non talem, quæ domicilium dicitur, quia a genere ad speciem affirmatiue argumentari non licet: Hinc melius *Struu. d. Ex. 9 §. 14. & 17.* Patriam, quam domicilio contra distinguit in communem, h. e. vrbs Romam, & specialem, seu cuiusque locum originis proprium diuidit.

§. 43. 21. Quid de altera domicilii priuati seu proprii subdiuisione d. §. 21. in naturale seu *originale* & *accidentale* statuendum sit, quæritur? Respondeo, domicilium istud naturale seu *originale* retineri posse, si modo secundum §. 36. explicetur, neque cum Frantzio supr. §. 23. domicilio *habitationis* contradistingatur.

§. 44. Quamuis enim concedam, domicilium distingui posse in *originale* & *accidentale*, nego tamen cum Strauchio §. 19. posse diuidi in *originis* & *habitationis*, quod facit Dn. Schilter §. 7. & 20. item Frantzkius §. 23. Quod vt clarius euadat, prænoto;

Locum natiuitatis respectu eiusdem personæ vel *opponi* lo-



eo *habitationis*, vt si Titius natus sit Lipsiæ a ciue Lipsiensi, & postea ad ultus, habitationem transferat Berolinum; vel *non opponi*, vt si idem Titius Lipsiæ natus, Lipsiæ quoque habitet. Priorem acceptionem breuitatis causa *oppositiuam* vocabo, posteriolem *positiuam*.

§. 45. Iam quoad acceptionem *originis positiuam* dico: si distinctio Eckolti in §. 21. ita explicetur, vt per domicilium *naturale* intelligatur locus, in quo aliquis natus est, & simul habitat, per *accidentale* vero, in quo quis habitat, sed non natus est, tunc ista distinctio tantum quoad terminos discrepabit a nostra. Nam domicilium hoc *accidentale* est illud ipsum domicilium *facti* a nobis §. 40. descriptum, domicilium *naturale* vero §. 36. inter species domicilii *Iuris* retulimus.

§. 46. At vereor, ne Eckolt acceptionem *oppositiuam* in mente habuerit. Etsi enim *dict. loc.* domicilium naturale seu *originis* domicilium *habitationis* non expressis opponat verbis (quod facit Frantzkius §. 23.) re tamen ipsa oppositionem hanc innuit: *Hodie*, inquit, *si quis* alibi *accidentale domicilium transulerit*, originale *non attenditur*. Scilicet, qui domicilium in originis & habitationis diuidunt, eam præcipue inter hæc duo domicilia tradunt differentiam, quod hoc sit, vbi quis habitet, quamuis ibi non sit natus, illud, vbi quis natus sit, quamuis ibi non habitet, ex quo sequatur, quod domicilium originis de iure Ciu. sit immutabile *l. 6. pr. ad municip. l. pen. & vlt. C. eod. Schütz. d. l. pag. 78. vid. omnino Carleualium de iudic. tit. 1. D. 2. n. 120. & seqq. 124. seqq.* domicilium habitationis vero varie mutari possit. *Franzke. d. l. n. 21. h. e.* quamuis v. g. Titius Lipsiæ natus habitationem Berolini constituat, Lipsiæ tamen retineat domicilium originis: at si Berolino v. g. Norimbergam se conferat animo ibi perpetuo manendi, tunc Berolinum desinat esse domicilium habitationis. Quorum illud de moribus hodiernis amplius non obtinere dicit Eckolt in verbis iam adductis.

§. 47. Ergo vero cum Dn. Strauchio §. 19. nego dari domicilium originis sine habitatione in hoc sensu oppositiuo, & consequenter nego domicilium in originis & habitationis recte diuidi, quia habitatio est pars formalis omnis domicilii. Deinde



de quod textus §. *anteced.* citatos concernit, respondeo forum quidem originis, de Iur. Ciu. non posse mutari, bene tamen domicilium originis, quod cum per §. 45. nihil sit aliud quam habitatio in loco originis, mutabitur utique, si Titius Lipsia habitationem Berolinum transferat, & per consequens *domicilium* amplius non erit. Quid ergo? *origo* seu *forum* originis domicilio omni contradistinctum per l. 6. §. 1. & 3. ff. *ad municip. l. 6. & 7. C. de incol.*

§. 48. At inquis in l. ii. de Senat. Senatores quamuis in vrbe *domicilium* habeant, nihilominus tamen & ibi, vbi *oriundi*, *domicilium* habere dicuntur. Ergo aliquis *domicilium* originis retinet, quamuis aliunde habitationem transtulerit. Nego consequentiam.

§. 49. Etenim l. ii. de Senat. non loquitur de Senatore, qui Romæ habitat, sed qui in loco originis habitat & Senatoris honorarii priuilegia ab Imperatore accepit, vt ex Bacchouio iam supr. §. 39. retulimus. Quam explicationem textui non repugnantem suadent textus §. 47. locum originis, si in eo non habitetur, domicilio contradistinguentes, quibus alias d. l. ii. repugnaret. (Nam Bachouii ratio *dict. loc.* inepta est, ideo de hoc casu legem accipientis, quia de eo, qui Romæ habitat, inepta foret disputatio, an habere in vrbe *domicilium* videatur? Si enim Bachouius recte aspexisset legem, deprehendisset aperte, quod ICtus ibidem non tractet eam quæstionem, an Senator eiusmodi Romæ *domicilium* habeat? Sed: an Senator, qui Romæ *domicilium* habet, (quod ICtus per modum obiectionis præsupponit) etiam in loco natiuitatis *domicilium* retineat?) Breuiter: *domicilium* originis in d. l. ii. non sumitur in sensu oppositio sed positio.

§. 50. Quæ etiam distinctione adhibita respondemus Dn. Schiltero diuisionem *domicilii* in originis & habitationis §. 20. defendenti. Vel enim *domicilium* originis accipit in sensu positio, (quod suadent rationes eius §. 20. descriptæ) tunc nobis non contradicit, sed eadem est eius explicatio cum nostra §. 45. Vel in sensu oppositio (quod suadent termini, dum *domicilium* hoc originis *domicilio* habitationis specificè opponit) &



tunc non recte ex mente ita opponentium terminos hos explicat, *conf. §. 46.*

§. 51. Differt ergo præter iam dicta domicilium originis nostrum a domicilio originis secundum communem DD. errorem explicato, quatuor adhuc modis. 1. Nos domicilium originis a foro originis distinguimus, illi confundunt. 2. Nos domicilium originis mutabile statuimus, illi immutabile. 3. Nos negamus domicilium originis & domicilium habitationis (huic oppositum) eodem tempore de vno subiecto prædicari posse, illi affirmant. 4. Iuxta nos domicilium originis a domicilio habitationis loco non differt, iuxta illos differt, &c. *conf. supr. §. 36. 46. & 47.*

§. 52. De foro itaque originis, cum ex mente nostra a domicilio originis, & a domicilio omni generice differat, amplius haud ero sollicitus, si prius explicauero l. 6. §. 1. *ad municip. Filius*, inquit Ulpianus, *ciuitatem, ex qua Pater eius naturalem originem ducit, non domicilium sequitur.* Quem textum non opus est, ut de eo casu intelligamus cum Struuius *Ex. 9. §. 17. in fin.* si filius alibi, quam in domicilio paterno natus sit, cum ex mea quidem opinione sequentem videatur continere casum: Titius natus a patre Lipfensi (liceat enim ob meliorem intellectum ciuitatibus notis uti, & cum exemplorum non requiratur veritas, fingere easdem perpetuo sub imperio Romano fuisse) domicilium postea transtulit Berolinum. Quoniam tamen forum originis ut §. 46. dictum, immutabile est, inde Lipsia secundum ius Ciu. manet origo naturalis Titii. Titio huic nascitur Sempronius, siue Berolini, siue Lipsiæ, siue in tertio loco v. g. Hamburgi, quaeritur, quinam ex his tribus locis sit forum originis Sempronii? *conf. B. Carpz. Dec. 1.*

§. 53. De Hamburgo forte non erit dubium, illam ciuitatem in dato casu pro foro originis non posse haberi, neque quoad ius Ciu. l. 3. *C. de Municip.* frustra dissentiente Vulteo, apud *Carpz. d. l. n. 17.* neque quoad mores nostros (quamuis dissentiat Græneuv. *ad l. 3. C. de municip.*) testante præiudicio a *Carpz. d. loc. n. vlt.* allegato verb: *Unangesehen ihr anderswo geböhren.* Nisi per specialissimam obseruantiam in loco quodam aliud in vfu sit, quale



quale statutum de ciuitate Antuerpiensi refert *Webnerus in obs. pract. voce Bürger.*

§. 54. At de Berolino & Lipsia grauior se ostendit difficultas. Si enim Berolini nascatur Sempronius, etiam in hac ciuitate, non vero Lipsiæ videtur forum originis fortiri, cum non solum ibi natus sit, sed & Pater ibi domicilium habeat *arg. d. l. 3. C. de municip. verb. modo non domicilius &c.* atque adeo duo vincula magis ligent quam vnum. Sin Lipsiæ natus sit ex rationis identitate pro Lipsia contra Berolinum pronuntiandum videtur. *arg. d. l. 6. §. 1. ad municip.*

§. 55. Verum quemadmodum ista ratio de duobus vinculis huc non quadrat, quia natiuitas nude considerata nihil efficit *per §. 53.* ita ante omnia iuris Ciuilis constitutio a moribus hodiernis separanda videtur. Quoad illam satis dilucida est *d. l. 6. §. 1. ad municip.* in qua Ictus absque omni dubio de foro originis filii, eiusdem foro domicilii contradistincto agit, (cum alias filius vti que domicilium fortiat in domicilio paterno *arg. l. 3. & 4. ad municip. l. 17. §. 11. eod. conf. supr. §. 36.*) deciditque pro Lipsia contra Berolinum, quamuis etiam Berolini forte natus sit Sempronius. Cuius decisionis ratio non adeo est obscura.

§. 56. Cum enim, vti iam dictum est, forum originis mutari haud queat, *l. pr. ad municip. l. pen. & vlt. C. eod.* inde Titius a Ciue Lipsiensi natus, quamuis alibi v. g. Berolini domicilium constituat, manet tamen Ciuis Lipsiensis Originarius, & per consequens filius Titii Sempronius, siue Berolini, siue Lipsiæ siue Hamburgi natus, semper erit ciuis originarius Lipsiensis, quia forum originis ad omnes transit posteros *arg. DD. LL. iuncta d. l. 6. §. 1.* in tantum, vt si v. g. iste Sempronius Berolini natus domicilium suum constituat Hamburgi, ibique gignat Mæuium, Mæuius ex Hamburgo sedem suam transferat versus Coloniam, & in ea generet Caium, Caius relicta Colonia fortunas suas abducatur Wittebergam, & ibi procreet Decium, tamen hi omnes ex dicta hypothesi Iuris Ciui. quod forum originis sit immutabile, forum originis habebunt Lipsiæ *d. l. 6. §. 1.* deriuatum a Titio in Sempronium, ab hoc in Mæuium, a Mæuio in Caium, inde vltimo in Decium, & ita in infinitum.



§. 57. Quare apparet, quid sentiendum sit de Glossa *ad d. l. 6. §. 1. ad municip. lit. C.* Sic ergo nota, inquit, quod filius suam propriam originem sequitur, quam nec mutare potest - - - item & Patris sui - - - & etiam illam non potest mutare - - - quod accipe in eam, quam Pater habuit ex se, non ex origine sui Patris, alioquin oporteret nos querere, ubi natus fuit Adam, siue agrum Damascenum. Paulo aliter Carleual. *de iudic. t. 1. D. 2. n. 48. - - 53.* statuens, aliquem fortiri forum non solum in origine propria, sed & in paterna, imo etiam in auita, non tamen ulterius ob dictam Glossæ rationem, qui plures quoque DD. pro ista sententia ibi allegat.

§. 58. Etenim duplicem committit errorem Glossator. Semel, quod statuatur duplicem originem filii, vnam, quam habeat ex sua natiuitate, alteram, quam habeat ex natiuitate Patris sui. Deinde quod & pariter duplicem originem Patris fingat, vnam, quam habeat ex se, alteram, quam iterum ex origine sui Patris nanciscatur pater. Præterquam enim quod istud vnum distinctionis membrum (nempe forum originis, quod quis ex sua persona per natiuitatem nempe nanciscatur contradistinctum origini paternæ) nullo fundamento textus aut rationis nitatur, quin potius contra iura sit, *per dicta §. 53.* in super considera quæsto, quam sit contra ipsum textum *d. l. 6. §. 1.* ista distinctio. Si enim Sempronius Berolini v. g. natus originem propriam Berolini in patris domicilio, ubi nascitur, haberet, & respectu patris in super Lipsiæ, falsum esset, quod filius Sempronius non sequatur Berolinum, tanquam *domicilium Patris*, quod tamen dicit *d. l. 6. §. 1.*

§. 59. Vterius reliquæ personæ in casu §. 56. exhibitæ, quibus omnibus Lipsiam pro foro originis assignauimus, diuersissima ex mente Glossæ accipient fora. Solus Sempronius siquidem respectu Patris Lipsiam retinebit, ex natiuitate propria adiciet Berolinum: Berolinum a Sempronio Patre transmittetur in Mæuium, Hamburgi tanquam in foro originis proprio natum: Caius a Patre Mæuio originem Hamburgicam habebit, eadem Coloniam vt originem propriam iungens. Et denique Decius respectu Patris erit ciuis Colonienſis, respectu sui ipsius ciuis



uis originarius Wittebergensis. Ex mente autem Carleualii *d. l. triplex* quoque forum originis quandoque euadet, vt v. g. Decius ex persona propria fit originarius Wittebergensis, ex patre Colonienfis, ex auo Hamburgensis, & ita in reliquis.

§. 60. Apparet autem ex verbis vltimis Glossæ §. 57. eam, vt his distinctionibus se intricaret, ex illa difficultate fuisse commotam, quod ex interpretatione nostra §. 56. videatur sequi, nec Lipsiam pro foro originis omnium habendam fore; sed potius, ex hypothesi, quod forum originis transferatur ad posteros, dicendum videri, agrum Damascenum esse commune omnium originis forum, cum ex eo originem suam duxerit Adamus (quod iterum hypotheseos gratia cum autoribus a Carleualio *d. l. n. 52.* allegatis præsupponamus) a quo etiam haud dubie ascendens Titius ille aut ipsius Pater æque non potuit mutare forum originis, migrando Lipsiam, atque nos diximus Posteros Titii aliorum migrando non potuisse mutare forum originis Lipsiense. Qua ratione quoque motus Peretz. *ad C. de municip. n. 2.* Accursii errorem cum aliis errat.

§. 61. Procederet haud dubie obiectio ista, si forum originis eiusque effectus a Iure Naturæ originem suam sumerent, neque tota hæc materia, quanta quanta est, propria esset Iuri Ciuili. Quod si penetrasset Glossator, non opus habuisset dilabi ad istas distinctionum ineptias, sed respondisset, non procedere, vt forum originis ab eo incipiatur, qui ante introductionem omnis fori a Iure Ciu. factam, vixit, quin potius ex mente Iuris Romani illam Ciuitatem *regulariter* pro cuiuslibet foro originario habendam esse, in qua Maiores eius vltimi, dum ista de foro originis constitutio promulgaretur, vixerint. Nos ex schemate §. 56. fingamus eo tempore iam extitisse & (cum reliquis ibi memoratis ciuitatibus) sub Romano Imperio fuisse Lipsiam, inque ea tum habitasse Titii Patrem.

§. 62. Dixi: *regulariter*. Per accidens enim fieri facile potuit, vt contra Iuris Ciuilis supra datam regulam forum originis fuerit mutatum, e. g. vel ob impossibilitatem probationis, vel ob capitis diminutionem. *mediam*.

§. 63. Scilicet, quemadmodum de fisco dicitur, quod tum demum



demum succedat, si quis decedat intestatus, & *nullum ex qualibet sanguinis linea* hæredem relinquat *l. 4. C. de bonis vac.* quod ita intelligendum, si attingentia personæ ab aliquo prætendente non probari possit, (cum alias non posset dari casus, quo quis moreretur, qui non relinquat alium quenquam in linea collateralis etiam centesimo gradu ipsum attingentem, quia omnes ab vno parente descendimus) ita quoque si ex schemate §. 56. fingamus, quæstionem oriri de foro originario Decii, & constare quidem, Decium a Caio, Caium a Mæuio, Mæuium a Sempronio fuisse prognatos, & hunc Sempronium Berolini habitasse, vnde autem ipse prouenerit, nesciri, vel quod Titius Lipsiensis fuisset vir obscurissimus, vel aliis de causis, tunc utique quamuis reuera Lipsia deberet esse forum originale Decii, tamen, quia ea ignoratur, & vero morali æstimatione eadem sunt, non esse & non apparere, *Grot. de I. B. & P. lib. 2. c. 8. §. 7. & c. 10. §. 11.* ideo Berolinum de quo ultimo constat, a iure fingitur, vel potius præsumitur esse forum originale Decii, quoniam ascendentes Sempronii, de quibus non constat, præsumuntur Berolini vixisse. Mutatio quippe domicilii est facti *l. 20. ff. ad munic.* eaque in dubio non præsumitur: ergo quamdiu de alio foro non constat, ob euitandam litium multitudinem, id quod plerumque est, in statu legali præsumimus. Adeoque Lipsia, quæ reuera debebat esse forum originis perpetuum, *per accidens* mutatur.

§. 64. Deinde si v. g. Mæuins (vt ex eodem schemate §. 56. sententiam pertexamus) Hamburgo Moscouiam transeat animo ibi domicilium figendi, certe patet, quod tanquam peregrinus omnia iura ciuitatis Romanæ amittat, & inter ea cum domicilio Hamburgensi forum originis Lipsiense. Quod si ergo hic Mæuius in Moscouia Caium gignat, Caius vero ex Moscouia in Germaniam redeat, ciuitatique Wittebergensi se adscribi curet, inque ea Decium procreet; iterum nec Lipsia, nec Hamburgum, sed Witteberga pro foro originario Decii & omnium eius posterorum habenda est, quamuis de omnibus eius maioribus vsque ad Titium constet. Quia morali æstimatione Caius pro nouo



nouo homine habetur ob Mæuii mediam capitis diminutionem, quæ hiatus quasi inter Sempronium & Caium induxerat.

§. 65. De iure Ciu. satis; (vid. §. 55.) quoad mores vero nostros ad quæstionem §. 52. & 54. propositam respondeo, proprie loquendo nec Berolinum, nec Lipsiam esse forum originale Sempronii (loquor iterum de foro originis domicilio omni, adeoque & originali contradistincto) quia forum originis quoad effectus antiquos hodie plane exoleuit. Nam hodie si quis renunciauerit loco originis, alibi domicilium sibi constituendo, non solum ab omni iurisdictione & fori competentia liberatur, *Besoldus de process. §. 9.* sed & quoad honores & munera loco originis est exemptus. *Struu. d. Ex. 9. §. 19. Schilter Ex. 13. ad ff. ib. 24. Gail. l. 2. O. 36. n. 7.*

§. 66. Ergo non adeo accurate loquitur B. Carpzou. *d. Dec. 1. n. 18.* dicens: Domicilium originis (qua voce ex communi sententia pro foro originis vitur) aliquem accipere Patris domicilio, vel si nec ille certum habuerit domicilium, ex origine paterna, quam sententiam secutos fuisse asserit Dn. Scabinos Lipsienses. Ex huius ergo sententia in proposita quæstione Berolinum tanquam domicilium paternum, esset forum originarium Sempronii, non Lipsia, nisi eo solum casu, si nec Titius Sempronii pater certo loco domicilium haberet, quæ definitio est contra *d. l. 6. §. 1. ad municip.*

§. 67. Quamuis autem Dn. Scabini in subnexa apud *Carpz. d. l. n. ult.* sententia & domicili habitacionis & domicili originarii (quod nos forum originis dicimus) mentionem faciant, atque adeo hoc forum originis adhuc hodie sibi locum vindicare videatur contra §. 65. tamen & ipsi locutione vulgari & vsitata fuere vsi, & propositus in ea sententia casus ostendit, sermonem ibi non esse de foro originis, domicilio habitacionis opposito, & uti B. Carpzouius *d. n. 18* loquitur, *sc. pater non certum habeat domicilium*, sed de domicilio originis proprie sic dicto, & quod habitacionem includit. Nobilis enim iste, de quo sententia Dn. Scabb. agit, in domicilio originario Patris sui (sc. in Italia) utique habitauit, postea vero Vratislauiam venit, ibique aliquantisper substitit, sed absque animo perpetuo

D

ibi



ibi manendi, neque animo amittendi prius domicilium. Ergo constat, quod adhuc in Italia domicilium suum habuerit *Struu. Ex p. § 19.* etiamsi pater eius domicilium suum aliunde transfuisset. Et consequenter ratio decidendi in dicta sententia non sumitur ab origine aut domicilio paterno, nec præsupponitur incertum esse, ubi iste nobilis habitationis domicilium habeat (vt putat Dn. Carpz. *d. n. 18.*) sed ab habitatione propria, quam certum est, quod idem adhuc in Italia retinuerit.

§. 68 Sufficere hæc poterunt de domicilio originis, quod a foro quidem originis differre, interim tamen dari & sub domicilio habitationis contineri, neque huic opponi, ostendimus, si non sat perspicue & ex voto, facile excusationem impetraturos confidimus, ob communem & pene vniuersalem DD. hæc intricantium errorem. Redeo in viam & (*vid. §. 42. & 43.*) quid in schemate §. 21. porro desiderem, explico. 3. Subdiuisionem domicili accidentalis in necessarium & voluntarium approbo, sed in exemplis necessarij, ob rationem §. 39. dictam non puto locum habere posse domicilium Senatorum (quod tamen facit Schütz *p. 97.*) neque voluntarium tantum *ad l. 7. C. de incol.* restringendum erit, cum latius pateat *per §. 41.*

§. 69. Restat alterum schema §. 23. ubi tamen de diuisione Domicilij: nihil dicendum habeo amplius, cum de distinctione in commune & proprium, item in naturale & accidentale superius dicta §. 42. & *seqq.* censuræ loco esse queant. Tantum illam fori speciem omni domicilio a Franzkio & Strauchio contradistinctam perlustrabimus, quam dicunt iure communi in aliquem *ex persona alterius* deriuari, eoque referunt 1. *Heredem.* 2. *Defensorem.* 3. *Libertum.* 4. *Vxorem.* 5. *Viduam.* 6. *Seruum.* *vid. d. §. 23.*

§. 70. 1. *Heredem* quod attinet, de eo ita Ulpianus *l. 59. ff. de iudic.*: *Heres absens ibi defendendus est, ubi defunctus debuit, & conueniendus, si ibi inueniatur, nulloque suo proprio priuilegio excusatur.* Quem textum vel de casu iudicij coepta intelligendum esse, ostendit *l. 34 ff. eod.* vt sensus sit, quod heres *absens* ibi defendi debeat, ubi defunctus, contra quem lis instituta, defendi debuit, & *presens* ibi conueniri debeat, non obstante villo,

cjus



eius priuilegio, vbi contra defunctum lis coepta. *Struu. Ex. 9. ib. 36. frustra dissentiente Brunnemanno ad d. l. 19.* Vel de actione personali ex contractu a defuncto inuito oriunda, quia heres succedit in locum defuncti, quoad contractus &c. Nam quod domicilium defuncti ad heredem quoque transeat, in isto quidem textu non asseritur, neque patitur natura domicilii, vt de hoc casu intelligatur *d. l. 19.* quia domicilium est quid personale, quod cum persona extinguitur, vt ex Paulo de Castro notat *Struu. d. loc. (conf. Carleual. de iudic. r. i. d. 2. n. 389.* qui late hanc quaestionem tractat *ibidem n. 288. seqq.* quamuis & ipse heredem in domicilio defuncti conueniri asserat. *n. 289.)*

§. 71. Nec est, quod in contrarium ex Frantzio & Strauchio *ad. ll. vigeas. 1.* Heredem repraesentare defunctum, eiusque vicem sustinere *d. l. 34. eod. l. 177. de R. I. 2.* Ex persona heredum obligationem defuncti non mutari *l. 2. §. 2. de V. O. 3.* Nec creditorum conditionem, qui ius quaesitum habebant, si defunctus vixisset, in illo loco eum conueniendi per heredes deteriorem fieri debere. Quibus rationibus motus domicilium defunctorum heredi tribuit *Hahnus ad Wesenb. tit. de iudic. n. 16. f. m. 289.*

§. 72. Nam quoad 1. repraesentat quidem defunctum heres, eiusque vicem sustinet in realibus, & quae ad heredem trans-eunt, non autem in personalibus, cum v. g. de iniuria a defuncto illata conueniri non possit. Adeoque 2. quemadmodum non possum dicere, quod heres obligationem defuncti immutat, quia leges noluerunt, vt obligatio ex iniuriis orta ad heredem transeat, ita simile iudicium esto de domicilio, & consequenter 3. non per heredem, sed per iura conditio creditorum fit deterior. Accedit, quod nec creditores ius quaesitum habeant, defunctum in domicilio suo conueniendi. Puto enim defunctum absque creditorum suorum consensu domicilium suum mutare potuisse, atque creditores, si defunctum in loco domicilii voluissent conuenire, coactos fuisse in nouo domicilio conuenire eundem. Non obstat *l. 2. C. de iudic. vid. Brun. ad d. l. 2.* Simili itaque ex ratione heres quia in iura defuncti succedit, succedet quoque in ius mutandi domicilii.

§. 73. Ex nostra itaque opinione forum heredis a foro domicilii



micillii recte distinguitur. An autem hæc mens etiam Frantzkii & Strauchii fuerit, non definitio. Certe Autores hi domicillii non faciunt mentionem, imo vti dictum §. 23. & 69. forum heredis & forum domicillii distinguunt: Hahnus vero *d. l.* Frantzkii argumentis pro sua opinione utitur.

§. 74. 2. De *defensore* nullum dubium erit, quem concedamus sequi forum eius, quem defendit, *l. 49. ff. de iudic. l. 1. z. & vlt. C. vbi in Rem. act.* domicillii tamen eius, quod defensus habet, propterea non fit particeps, vt adeo huius forum a domicillio recte separetur.

§. 75. At cur 3. *Liberti.* 4. *Uxor's.* & 5. *Vidue* forum a domicillio reiiciant dicti Autores, equidem non video, cum ex legibus §. 28. 34. & 38. allegatis appareat, forum istud in iure diserte pro domicillio haberi.

§. 76. 6. *Servus* quod attinet, eos forum ex Domini persona sortiri statuit cum Frantzkio Strauch, *ad. II.* imo domicillium hoc casu ex Domini persona ipsis tribuit Hahnus *d. l.* vterque *per l. 1. C. vbi caus. status ag. deb.* Neuter recte. Nam *d. l. 1.* de ancilla agit, quæ ex seruitutis possessione aufugerat in aliam Provinciam, ibique in libertatem se contra Dominum vindicare volebat, (quod etiam agnoscit Hahnus *d. l.*) & respondet Imperator, quod debeat litigare in loco vnde aufugerat, sc. in domicillio Domini. Ergo ancilla in *d. l.* adrix est, Dominus reus, & ratio legis in illa fundatur regula, quod actor sequatur rei forum. Quemadmodum vero incongrue dicerem v. g. Cuius Hamburgensis conuenit ciuem Lipsiensem Lipsiæ, ergo Lipsia est domicillium seu forum Cuius Hamburgensis, ita & in *d. l. 1.* se res habet. Quin imo domicillium & forum sunt verba iuris Ciuilis, effectus que mere ciuiles exferunt, iuris Ciuilis autem in totum incapax est seruus, cum huius respectu pro mortuo habeatur. *l. 32. ff. de R. I.*

§. 77. Sed vrget: Imo Dominus ancillam in possessione libertatis existentem debet ibi conuenire, vbi ipsa consistit. *l. 3. C. eod.* (quam etiam allegat Hahn *d. loc.*) ergo ancilla ibidem tanquam rea forum vel etiam domicillium habebit. Respondeo: Nunquam ancilla, qua talis forum habet, neque istud dicit *d. l. 3.*  
sed



fed notanter loquitur de ea, quæ ancilla DICITVR. Propter possessionem enim libertatis, habetur pro libero homine, & hoc respectu quoque foram ipsi tribuitur: si enim forum haberet feruus quatalis, quid opus esset actionibus noxalibus atque peculiaribus, quæ de ferui quidem facto dantur, at non aduersus feruum, sed aduersus Dominum?

§. 78. Prolioxior fui, quam constitueram, in enucleandis domicili speciebus, sed laboris forte huius non pœnitebit, cum sequentia ostendent, omnem Auctorum, qui de iis, qui absque domicilio sunt, scripserunt, dissensum, & minus rectas quæstionum decisiones, ex confusione fori originis cum domicilio &c. ortas fuisse.

## CAPVT II.

VAGABVNDVS QVIS ET  
QVOTVPLEX?

## SVMMARIA.

Avésis. Synonymon vagabundi. §. 79. Vagari quid ap. scriptores Latinos. §. 80. Vagans, Vagus & Vagabundus sumitur vel improprie 1. pro omni eo quod incertum est §. 81. 2. pro Sermone &c. impertinenti §. 82. vel proprie & tunc vel in sensu Grammatico vel in sensu Iuridico §. 83. quæ duo sensus distinguuntur etiam vocibus §. 84.

Quid circa definitionem vagabundi observandum? 85. Aliorum definitiones 1. ab actu vagationis. §. 86. 2. ab actu & statu simul §. 87. 88. 3. a privatione domicili honorum §. 89. 4. a privatione domicili habitacionis. §. 90. Nostra definitio. §. 91. Genus est persona. §. 92. differentia a privatione domicili cuiuslibet §. 93. An vagabundus habeat domicili originis? Neg. §. 94. Excipiuntur responsiones aliorum §. 95. 1. Glosse §. 96. 97. 2. B. Carpzovii l. 2. Resp. 25. n. 4. §. 98. 99. (an in domicilio originis nemo nisi sibi inueniatur conueniri possit? 100). 3. Farinacii §. 101. 4. Gailli §. 102.

Habitatio & domicilium an sint synonyma? Habitacionis homonymia §. 103. notatur Carleual. & exponitur l. 1. §. 9. ff. de his, qui deici. §. 104.



- An omnis persona sine domicilio sit vagabundus? S. 105. Notatur Carleual.*  
*S. 106. ΑΥΕΣΙΟΥ sumitur vel negatiue vel priuatiue S. 107.*  
*ΑΥΕΣΙΟΥ vocem an exprimant Græcorum ἀπόλιδες & ἐξορίσσι ac ἀνοικοί?*  
*S. 108. Quomodo differat vagabundus ab errone & fugitiuo? S. 109.*  
*quomodo ab otioso? S. 110. quomodo a Circulatore, peregrinante Ceretano ac Ciarratano? S. 111. Vagabundi synonymon an sit Landstreicher?*  
*S. 112. an Wurfstreuter? S. 113. an Frrwagen? S. 114. an Siehegan?*  
*S. 115. an adiectiuum Unstet? S. 116.*  
*Consideratio vagabundi in fieri. S. 117. An aliquis domicilium mutare queat? S. 118. Resp. Inuito Principe summo id nullo modo fieri potest. Expenduntur rationes Dni. Pufendorffii S. 119. Volente principe mutare potest, non tamen in certis casibus inscio eodem S. 120. Extra hos casus ob presuntam eius voluntatem etiam inscio principe S. 121. nec interest, an singuli discedant, an plures gregatim, aduersus Grotium S. 122. Officium magistratum inferiorum circa discedere volentes S. 123. Duo requirantur, vt quis fiat vagabundus. S. 124. 1. vt domicilium suum deserat, quod fit intermissione habitationis S. 125. & animo derelinquendi S. 126. Nemo presumitur vagabundus. S. 127. Quomodo probetur animus? notantur Mascardus & Peguera S. 128. Resp. vel per expressam resignationem vel per coniecturas S. 129. a continuatione vagationis S. 130. a venditione rerum suarum in priore domicilio S. 131. ab interitu domicili S. 132. 2. vt aliud domicilium non habeat, quod fit vel aliud non desiderando, vel aliud querendo S. 133. Explicatur mens ICI in l. 27. S. 2. ad Municip. S. 134. 135. An is, qui domicilio relicto ad aliud iam destinatum domicilium iter facit, sit sine domicilio? Aff. Dn. Struu. S. 136. Negatur questio S. 137. Querere locum consistendi sumitur dupliciter S. 138. 1. de loco incerto, ita accepit Iulianus S. 139. 2. de loco destinato. Ita Dn. Struuus S. 140. Obiectio contra decisionem negatiuam S. 141. cui satisfis S. 142. Vfus questionis. S. 143.*  
*Diuisiones vagabundorum varia S. 144. Vagabundi sunt vel necessarii vel voluntarii S. 145. An ad necessarios recte referantur ii, qui belli & pestis tempore habitationem suam alio transferunt? item relegati? S. 146. An exules seu banniti? S. 147. 148. 149. an ii, qui religionis causa domicilium reliquerunt? S. 150. (Ius reformandi quatenus hodie competat statibus imperii S. 150. 151. Defenditur B. Carpzouius S. 152. Beneficium emigrandi subditis diuersæ religionis in Instrum. pac. concessum, an sit volun-*



voluntatis an necessitatis? §. 153.) Resp. ad quaestionem distinguendo, §. 154. Ad voluntarios vagabundos §. 155. an recte referuntur mendicantes validi? §. 156. Cingari? §. 157. serui fugitivi? §. 158. Histriones? §. 159.  
 Vagabundi sunt vel laudabiles, vel vituperabiles, vel indifferentes §. 160.  
 Eliciuntur hæ species ex vagabundis voluntariis §. 161. item ex necessariis §. 162.  
 Vagabundi sunt vel veri vel præsumti §. 163. Explicatur diuisio ista dupliciter §. 164. 165. (an ob delictum fugiens sit vagabundus præsumtus? §. 163. 164. 166.) Differentia duplicis explanationis §. 167.  
 Effectus vagabundorum §. 168. & Contraria remissive §. 169.

§. 97.

**C**ertum domicilium habentibus opponitur *Vagabundus Struu.* Ex. 9. ad ff. n. 37. Græce ἀνέστη. Strauch. Ex. 8. ad ff. th. 14. qui ita dicitur, quasi ἐστὼν μὴ ἐξ ὧν, qui domo caret, & incertis sedibus vagatur. Schreuel. in Lex. Græco-Latino hac voce.

§. 80. *Vagari* communiter Autoribus latinis dicuntur, qui hinc inde in incerto loco oberrant. Sic Virgilius 4. *Æneidos.*

*Vritur infelix Dido totaque vagatur*

*Vrbe furens*

Horatius l. 1. Oda, 22.

*Dum meum canto Lalagen & vltra  
 Terminum curis vagor expeditis.*

Cic. l. De inuentione. Nam fuit quoddam tempus, cum in agris homines passim bestiarum more vagabantur. Vlpianus l. 17. §. 14. ff. de edil. edict. Erronem definimus, qui -- frequenter sine causa vagatur. Modestinus l. 3. §. 2. de re militar. Emanfor est, qui diu vagatus ad castra regreditur.

§. 81. Ab hac voce descendencia adiectiua, *vagans*, *vagus*, *vagabundus*, vel improprie sumuntur, vel proprie. Improprie & pertropum i. pro omni eo, quod incertum est. Ita dicitur Loggicis, indiuiduum *vagum*, Ciceroni lib. 2. de nat. Deor. sententia *vaga*, Plinio lib. 27. C. 4. *Vagum* nomen herbæ. Sic Ictus l. 7. pr. de iniur. eum, qui actionem iniuriarum instituit non *vagari* debere ait, sed certum specialiter dicere.

§. 82.



§. 82. 2. Pro eo, qui in oratione v. g. aut scripto digressio-  
ne vtitur, & res ad scopum non facientes immiscet: vt sermo  
*vagus* &c. Hoc significatu *vagantes* & *vagabundi* dici possent  
omnes illi, qui res ad se non spectantes per *μετάθεσιν εἰς ἄλλο*  
*γῆν* tractant. Vt si v. g. Icti ptincipia Philosophiæ, Theolo-  
giæ aut alterius disciplinæ ex LL. Ciuilibus probare cupiunt,  
quos stringit erudite Bacchouius in *πρωτ. p. 39. & 40. & ad We-*  
*senh. p. m. 3.* aut in controuersis ciuilibus: decisionem Iuris Ciu. per  
dicta Scripturæ S. LL. forenses aut ceremoniales Iudæorum spe-  
ctantia impugnare volunt. *conf. Grot. d. I. B. & P. l. i. C. i. §. 17. n. 3.*  
*Mascardus de probat. con. 191. Euerhardus loco ab author. 95. n. 6.*  
*Dierherrus in continuat. thesauri Besoldiani voce heilige Schrifft.*

§. 83. *Proprie* vel in sensu *Grammatico* iuxta explicatio-  
nem §. 80. Sic mercatorem *vagum* pro eo, qui in mundo incer-  
tis locis peregrinetur, dicit Horatius, *de art. poet. Tyrenem va-*  
*gum* pro eo qui a signis militaribus hinc inde oberat, notant Im-  
peratores *l. i. C. de tyron. Lib. 12. ibique Perez. n. 6.* Vel in sensu *iur-*  
*idico* pro eo, qui non habet domicilium *vt h. l.* Ita communiter  
DD.

§. 84. Posses hos duos significatus proprios ipsis vocibus  
& conceptu distinguere, si dicas *vagantes* a *Grammatico* pro-  
prie appellari eos, qui *actu* ipso oberant, siue domicilium ha-  
beant siue non, a *lecto* vero *vagabundos* dici, qui in *statu* erran-  
tium viuunt, quamvis *actu* non oberrent: *vagos* promiscue & de  
his & de illis prædicari. Nos cum Ictis h. l. *starum* magis cura-  
mus, quam *actum*, quem etiam concinnius exprimit vox græ-  
ca *ἀνέσι* *conf. Grot. de I. B. & p. l. i. c. i. §. 2.*

§. 85. Ergo quomodo definitur *vagabundus*? Hobbesius in  
*Leuiat. part. i. C. 4. p. 17.* monet, ex definitionum erroribus duci  
paulatim Lectores in conclusiones absurdas, quas etsi tandem vi-  
deant, extricare tamen se non posse, nisi demum ab initio com-  
putare, incipiant: atque hinc apparere, quam sit illi opus, qui ad-  
scientiam veram tendit, antiquiorum Autorum definitiones exa-  
minare, negligentiusq; scriptas corrigere, vel sibi ipsi nouas con-  
stitueret. Idem & ego obseruabo, atque examinatis modeste con-



rum definitionibus, quæ Lectores in conclusiones absurdas ducere poterant, meam vagabundi definitionem subiiciam.

§. 86. Alii igitur 1. Vagabundum describunt, *qui non trahit moram in loco, sed modo hoc modo illuc vagatur.* Ludovicus a Peguera in Dec. aure Dec. 3. in addit. n. 14. Menochius remed. 10. recup. poss. n. 50. nullam exercens artem Menochius de Arbitr. lib. 2. cent. 6. cas. 531. n. 1. Verum quemadmodum artis exercitium ad vagabundum equidem nihil facit, cum vagabundus artem exercere & qui artem nullam exercet, domicilium habere possit. *conf. inf. §. 156.* ita hæc descriptio magis sensui grammatico conuenit, quam iuridico per dicta §. 83. & 84.

§. 87. Sensit hoc Cardinalis Tuschus *conc. pract. Tom. 8. lit. V. concl. 10. n. 2.* qui postquam Clari sententiam reuulisset, quod vagabundus sit, qui per mundum vagatur addit: supplendum esse: dummodo non habeat domicilium, in quo habitet. Hinc alii 2. actum cum statu coniungentes, vagabundum appellant, *qui hinc inde vagatur, & nullibi pedem figendo contrahit domicilium.* Ita B. Carpou. l. 2. resp. 25. n. 1. Farinacius *prax. crim. l. 1. quæst. 7. n. 15. & l. 1. conf. 64. n. 3. conf. Mascardum de prob. conc. 1403. Besoldum thesauro practico voce Haus heblich. Pegueram d. l. n. 9.*

§. 88. Quoniam autem ex infra dicendis §. 169. patebit, non omnem vagabundum actu vagari, sed aliquando per non contemnendum temporis spatium moram in certo loco trahere, ideo non opus est, ut actus & vagationis ipsius in definitione fiat mentio, imo eo apposito ob dictam causam angustior, adeoque vitiosa definitio euadet.

§. 89. Sed nec hi, qui in definitione sua actum vagandi excludunt, & domicilii solius mentionem adhibent, inter se consentiunt. Alii enim 3. ad domicilium bonorum recurrentes vagabundum dicunt *personam nullibi certam rerum suarum habitationem constituentem,* Mylius *disp. de iure vagabund. c. l. n. 3. quibus iam supra §. 8. seqq. ubi domicilium bonorum reieci, responsum est, ut taceam eos, qui hac sententia vtuntur, sibi ipsis contradicere, dum alibi vagabundorum bonis curatorem constituendum esse, atque adeo vagabundos in certo loco res seu bona habere posse asserunt.* *Idem c. 2. n. 20.*



§. 90. *Alii denique 4. folius habitationis domicilium pro fundamento ponunt, atque vagabundum nuncupant eum, qui nullibi domicilium contraxit habitationis, ita ut nec forum sortiatur certum, vel qui nuspian quod, apparet, certa sede habitationeque consistit: vid. Carpz. in Proc. tit. 3. art. 1. n. 13. Gail. L. 1. obs. 1. n. 34. Menoch. de arbitr. l. 2. cent. 6. cas. 531. n. 1. Carleval. de iudic. l. 1. d. 2. n. 46.* Horum sententia uti quam proxime a scopo abest, ita retineri posset, nisi, dum dicunt domicilium habitationis, simul isti Autores domicilium originis ei oppositum in mente haberent, quod vagabundo male attribuunt. vid. §. 94.

§. 91. Ergo quid nos dicemus? Presso pede Iulianum sequentes rem tribus verbis efferimus: *vagabundus est persona sine domicilio. d. l. 27. §. 2. ad municip. vel quod idem est: est persona, quæ nullam habitationem habet stylo Vlpiani l. 4. §. 5. ff. de damn. infect.*

§. 92. Per personam innuo hominem, consideratum in statu suo, quem habet in vita communi. *Pufendorf. element. lib. 1. def. 4. & de Iur. Nat. lib. 1. c. 1. §. 12.* iuxta quem statum ipsi ius redditur in societate Ciuili. Quod addendum, ut personæ acceptionem iuridicam distinguam ab acceptione morali, *conf. Pufendorf. d. definit. 4. §. 2.*

§. 93. Quid per *domicilium* in definitione intelligam, ex dictis *capite primo* liquet, sc. domicilium in genere siue iuris sit siue facti, siue necessarium, siue voluntarium *conf. §. 25. seqq.*

§. 94. Nam, quod eorum opinionem concernit, qui domicilium originis vagabundo tribuunt *cum Glossa supr. §. 3. & 4. vid. Carpz. L. 2. resp. 25. n. 3. Farinacium prax. crim. lib. 1. q. 7. n. 15. Gail. L. 1. Obs. 1. n. 33.* in eo falluntur utique, cum ostensum sit §. 44. *seqq.* domicilium originis absque habitatione non esse. Ergo qui habitationem non habet, nec vllum habebit domicilium.

§. 95. Qua responsione adhibita non opus est, ut nos torqueamus cum Glossa & Autoribus *s. ameced.* citatis. Hi enim cum & ipsi statuunt vagabundum esse sine domicilio, anxie effugium quærunt, quid ad obiectionem istam respondendum sit, quod vagabundus habeat domicilium originis.

§. 96. Siquidem 1. Quod Glossam attinet, ad obiectionem quam



quam sibi §. 3. mouebat, recte *ibidem* responderetur, distinguendo inter forum originis & domicilium. Falsum enim est aliquem sine domicilio esse, & tamen ratione originis domicilium habere, nec exinde, quod aliquis possit esse sine domicilio *d. l. 27. §. 2. ff. ad municip.* sequitur, quod quis de iure ciuili possit originem derelinquere *conf. supr. §. 46.*

§. 97. Et quamuis ista responsio Glossæ non placeat, *vid. supr. §. 4.* tamen rationes dubitandi, quas *ibidem* mouet, tanti non sunt. Nam æque falsa est, & principium petit ista assertio, quod omnis, qui originem habet, habeat etiam domicilium (*sc. in isto loco, vbi originem habet, alias non esset dubitandi ratio*) nec per istud exemplum, quod infantes statim habeant domicilium. *l. assumptio inf. & l. Filii pr. ff. eod. eadem* probatur. Quemadmodum enim in dictis textibus, non id dicitur, quod infantes Libertinorum domicilium habeant in loco originis, sed quod sequantur originem Patronorum vel domicilium *vid. supr. §. 28.* ita et si concedamus infantes quandoque domicilium habere in foro originis per §. 36. & 45. tamen nec hoc est perpetuum per §. 56. nec (si vel maxime semper procederet) probare potest vniuersalitatem assertionis, cum sit exemplum particulare.

§. 98. 2. B. Carpz. *d. resp. 25. n. 4.* illa responsione post alios opinionem suam tuetur, quod in domicilio originis nemo conueniri queat, nisi *ibidem* reperiatur, adeoque parum iuuat nosse domicilium vagabundi, in quo conueniri nequeat, eo ipso quod est vagabundus, & *ibidem* non deprehenditur.

§. 99. Reuertere responsioni huic quis posset, non quæstionem esse de effectibus domicili, sed de domicilio ipso, eandemque procedere etiam in eo, qui aliunde, quam in loco originis domicilium habet, circa quem tamen non parum iuuabit, secundum ius ciu. nosse eius domicilium originis quamuis eo ipso, quod alibi deprehendatur, in illo conueniri nequeat.

§. 100. Præterea & illo fundamento dubitare liceret: an in domicilio originis nemo, nisi ibi inueniatur, conueniri queat? Aut enim is, de quo quæstio est, habitat simul in loco originis, aut aliunde habitat. Si prius: cum locus originis sit simul do-



micilium habitationis (ex mente dictorum Autorum) vtique ibi, siue absens sit, siue præsens, conuenietur *l. 4. §. Prætor aut 5. ff. de dam. inf. Carleual. de iudic. t. 1. d. 2. n. 13.* Si posterius: (quod vtique in mente videntur habuisse, dupliciter dissentientes a Carpzouii opinione deprehenduntur DD. Alii enim in foro originis plane non conueniri posse eum, qui alibi domicilium constituit, opinantur, vt *Gailius l. 2. ob. 36. n. 5. 6.* quos tamen refutat *Carleual. d. l. n. 56. 60. 61. 62. per l. 29. ff. ad municip.* Rursus alii, vt *Marianus Socinus*, aliquem in origine propria conueniri posse statuunt, etiamsi ibi non reperiatur. Cuius opinionem quamuis ut singularem ac omni fundamento destitutam improbet *Carleualius d. l. n. 63. cum multis ibi citatis*, videtur tamen ea *per d. l. 29.* defendi posse, quæ generaliter & absque distinctione dicit, aliquem & ibi, vbi incola est, & ibi, vbi ciuis (originarius) est, iurisdictioni magistratus Municipalis subiectum esse.

§. 101. 3. Farinacium quod attinet, is *d. l.* solum asserit, in proposito non considerari domicilium originis, quia eo non attempto, dummodo non habeat certum domicilium habitationis, adhuc dicatur vagabundus; & licet aliqui dixerint, quod ad hoc, vt quis dicatur vagabundus, requiratur, vt neque etiam habeat domicilium originis, illam tamen opinionem communiter reprobari a pluribus DD. ibidem allegatis. Sed præterquam, quod nullum pro sua sententia adducere textum possit Farinacius, communem istam reprobationem communi errore atque confusione domicilii originis cum foro originis niti, late ostendunt dicta. *cap. 1.*

§. 102. 4. Prouocat equidem *Gail. d. l.* vt probet vagabundo comperere domicilium originis, tum ad *l. nostram 27. §. 2. ff. ad munic.* tum ad *l. 4. §. ff. de damn. inf.* Quasi domicilium, de quo in *d. l. 27. §. 2.* Ictus loquitur, ad habitationis domicilium in *d. l. 4. §. 5.* restringatur. At fallitur *Gailius*, cum in *l.* quidem *nostra* domicilii in genere fiat mentio, ac in *d. l. 4. §. 5.* de habitatione loquatur Ictus, verum non eo intellectu, vt vocem domicilii restringat, sed potius vt in hac locutione eandem plane cum *Iuliano* sententiam diuersis tantum verbis efferat, quia omne domi-



domicilium est habitationis. *per dicta cap. 1. §. 47. & omnis habitatio est domicilium d. l. 4. §. 5. iunct. l. 1. §. 2. de aleator.*

§. 103. Inde etiam §. 91. phrasas has synonymice vsurpauit: *personam sine domicilio, & personam quæ nullam habitationem habet.* Accipitur enim vox habitationis in iure nostro potissimum dupliciter, vno modo cum respectu ad res, & ita est species feruitutis. *tot. tit. I. de vsu & hab. & passim. vid. Caluini lexicon hac voce, altero, cum relatione ad personam, & ita domicilii synonymon est, vt in d. l. 4. §. 5. de dam. inf. Caluinus voce habitator.* Vulgarem namque significationem, secundum quam vel pro ipsa domo vel pro quolibet inhabitandi actu (etiam absque animo perpetuo ibi manendi &c.) prædicatur, hic non curamus.

§. 104. Qui significatus vulgaris cum etiam in l. 1. §. 9. ff. de his qui deiec. occurrat, inde non opus est, vt ex ea cum Carleual. de iudic. t. 1. D. 2. n. 12. ingentem esse differentiam inter domicilium & habitationem opinemur, modo significatum ICtis proprium ab hoc vulgari loquendi modo distinguamus. Nam & domicilii vox eodem vulgari sensu de conductoribus ædium in genere, siue animum permanendi habeant, siue non, vsurpatur d. l. §. 9. l. 5. §. 2. de iniur.

§. 105. Cæterum cum bonæ definitionis nota præcipua sit, vt cum definito suo reciprocetur, inde thesin istam firmam assero, quod quemadmodum omnis vagabundus est persona sine domicilio, ita & omnis persona sine domicilio in censum vagabundorum referenda veniat. Vnde falluntur illi maxime, qui ad vagabundum quidem, vt *si sine domicilio*, requirunt, *dicta tamen non sic exaudiri oportere, aiunt, ac si omnis ille, qui est sine domicilio, vagabundus existimari debeat, quia alias sequeretur, Studiosos, milites, similesue personas eorum conditioni fore adscribendos. Mylius d. disp. c. 1. n. 7.* Hæc enim consequentia ex assertione nostra haud fluit, quin potius ex dictis §. 30. seqq. videre est milites domicilio suo gaudere, quod & de studiosis regulariter erit pronunciandum.

§. 106. Ex quo etiam facile responderi potest Carleualio, qui d. l. n. 46. postquam vagabundum definiuisset, *quod nullibi certum habeat domicilium*, paulo post addit. *In quare oportet ad-*

*vertere,*



vertere, carentiam domicilii proprie dicti, vt distinguitur ab habitatione iuxta notata a me supr. n. 12. (vid. §. 104.) non sat esse, vt quis censeatur, & sit vagabundus. Nam qui habitationem fixam habet alicubi, tamen proprie domicilium non contraxerit, non potest dici vagabundus. Alioquin officiales Curie, Aduocati, & Scholastici, qui in aliis locis regni domicilium non habent, censerentur vagabandi, quod est absurdum. Itaque h. l. domicilium habitationis pro fixa habitatione accipimus. Vti enim acceptamus, quod in viam redeat Carleualius, habitationemque fixam a domicilio in materia vagabundi non differre aserat, ita negamus: Scholasticos qua tales &c. fixe habitare in loco studii &c. negamus etiam: absurdum esse Scholasticos illos, si in aliis locis regni (& extra regnum) domicilium non habeant, censi vagabundos. Officiales autem Curie in aliis locis domicilium non habentes presumuntur in curia domicilium suum constituisse. *conf. Siruu. Ex. 9. §. 38. n. 3.*

§. 107. Illud insuper notes velim ἀνετίς, seu eos, qui sunt sine domicilio, vel *negatiue* dici vel *privatiue*. Negatiue (*privatiue*) pro iis, qui non habent domicilium, & quorum natura repugnat (*non repugnat*) vt domicilium habeant, siue antea sub domicilio fuerint, siue non. Posterior significatus est huius loci. Quoad priorem serui, deportati, & in metallum damnati &c. qui quoad ius Ciu. pro nullis habentur, possent dici ἀνετίς *arg. l. 1. §. 2. de leg. 3. l. 12. §. 1. de pæn.* quos tamen qua tales nemo commode dixerit vagabundos, vt adeo frustraneum sit de his & similibus quærere, an domicilium habeant nec ne, quemadmodum ridiculum foret de lapidis v. g. qui visus plane est incapax, cœcitate anxie disquirere.

§. 108. Ex dictis facile diiudicari potest, quomodo ἀνετίς, seu vagabundus ab aliis differat vocibus affinis, & quomodo rursus cum aliis quibusdam conveniat. Ἀπολίδων mentionem facit *l. 17. §. 1. de pæn.* quos extorres reddit *d. 1. 1. §. 2. de legat. 3. ἐξορίστους* Glossa notante Gothofredo *ad d. 1. lit. P.* Sed hi termini de deportatis & in metallum damnatis prædicantur, quos modo reiecimus, vt taceam & vocabulum πόλιως seu ciuitatis in iure ambigue dici. Magis ad rem præsentem ex Græca lingua

gua



qua spectant *avolois*, quos pro vagabundis synonymice usurpat Strauch. *Ex. 8. ad. ff. §. 14.*

§. 109. Latinas voces quod attinet, differt vagabundus ab *errone & fugitio*, quia *erronem & fugitium* esse prædicata feruorum sunt *l. 17. §. 14. ff. de edil. edict. l. 225. de V. S.* Et quamuis eadem etiam ad liberos homines applicari queant, ingens tamen adhuc subest diuersitas. Nam vt Grammaticos taceam, qui illud inter errare & vagari interesse opinantur, quod vagari fit per diuersa, errare per aliena, *Calepinus* voce *vagor*, Erro qua talis domicilium habere potest (Erro enim est, qui frequenter sine causa extra ædes vagatur, & temporibus in res nugatorias consumptis serius domum redit *d. l. 17. §. 14.* Quo textu nescio, cur motus sit *Menochius*, *de arbit. l. 2. cas. 531. n. 1.* vt assereret, Cum ibidem vagabundos appellare erroneos. *conf. §. 80.*) *Fugitiuus* vero (quem cum vagabundo coniungit *Carpzou. prax. crim. q. 54. n. 48.*) non reciprocatur cum vagabundo. Dantur quippe vagabundi, qui fugitiui haud sunt, vt inter *Cingaros*, exules, mendicantes validos &c. quam plurimi: Et fugitiuus etiam quis potest esse, quamuis non sit vagabundus v. g. si quis ob delictum commissum aufugiat, cum animo tamen retinendi domicilium, & impetrato forte saluo conductu redeundi.

§. 110. Vagabundos & otiosos coniungit *Peguera dec. aur. 3.* vbi in vagabundos ea ex causa grauiter inuehitur, quod otii reprobatio statim a creatione hominis initium sumferit, quæ *Peguera* verba repetitæ retinet *Befoldus in thes. pract. voc. Haushebllich f. m. 369.* Quæstionem ipsam de vituperio vagabundorum vna cum rationibus *Peguera* examinabimus alio tempore *conf. inf. §. 106. seqq.* In præsentia id solum notemus: vagabundos & otiosos synonyma haud esse, cum plurimi dentur otiosi domicilium habentes, & vagabundorum quoque vnus & alter deprehendantur labore victum sibi comparantes, qui tamen propterea non definunt esse sine domicilio, si nempe eo in loco vbi degunt & laborant, non habeant animum perpetuo manendi.

§. 111. Simile iudicium esto (vt paucis latina prædicata absoluam) de vocibus *circulatorum, peregrinantium*, vt & de appella-



pellatione illa barbara *Ceretanorum & Ciarlatanorum*, quorum terminorum explicationem tradit B. Pater *Disp. de vagant. scholast.* §. 26. 30. 38. 41. & *seqq.* §. 47.

§. 112. Pergo potius ad Synonyma Germanica, vbi noto, non commode vim vocis vagabundi per τὸ Landstreicher exprimi a Mylio *d. diff. c. 1. n. 1.* cum vsus modernus vocem hanc semper in malam determinet partem, vagabundi autem per se nec boni nec mali dici mereantur *conf. §. 106. seqq.*

§. 113. Præterea, quamvis vagabundorum non pauci cœnis alienis inhiare soleant, dubito tamen valde, an eos appellare possis Wurstreuter oder Zapffenbuben, quia hoc vocabulum de forde & fœce nobilium aliena conuiuia petentium, ibique varia delicta committentium prædicatur, in quos inuehitur Linnæus *de iur. publ. L. 6. cap. 5. n. 66. seqq.* pœnamque centum thalerorum in eiusmodi cœnipedas statuit Sereniff. Elector noster. *vid. Mand. de dato 30. Iun. 1653. Polit. ord. de anno 1612. §. 20. & de an. 1661. tit. 7.*

§. 114. Zeillerus *cent. 4. Epist. 48. p. 348.* vbi voces quasdam Germanicas explicat, Zrrwagen, inquit, seynd so viel als Vaganzen, so keine gewisse bleibende Statt haben: quod sine dubio ex Wehneri *obseru. pract.* hausit, qui *in d. voc.* eam quamvis ipsa, vt apparet, pure Germanica sit, ex latina deducit lingua, vt Zrrwagen dictus sit quasi *erro vagus*. Quam tamen siue etymologiam siue allusionem Autori suo relinquo.

§. 115. Illud constat, vocem Zrrwagen hodie certe apud nos, non adeo frequentari, quemadmodum & vox Ziehegan, qua Circulatores & vagabundos a maioribus nostris notatos fuisse ex Cureo notat idem Zeillerus *cent. 3. Epist. 76. p. 543.* hodie inter obsoletas numeranda, nisi dicere velis, eius vestigium in Cingaris super esse, quos Germani vocant Ziegeiner quasi ziehe ein her, *vid. B. Patrii Disp. de Cingaris §. 13.* adeoque a vagabundis tanquam genere ad Cingaros vagabundorum speciem eam fuisse applicatam.

§. 116. Ergo, quamvis substantiuum aut adiectiuum substantiue vsurpatum in Teutonum lingua vagabundo correspondens, quod vsu frequentetur, vix reperire liceat: nescio tamen vim vocabuli Græci ἀνέσις an melius explicet latinorum

rum



rum vagabundus, an Germanorum Unstet, cum & in hac voce simul tacite lateat definitio, ac per eam denotetur persona, quæ nullibi fixam sedem habet. Inde cum Deus *Gen. 4. v. 12.* Caino fratricidæ pœnam dicitaret & inter alia quoque iniungeret, vt in posterum sit  $\text{וָיָג}$   $\text{וָיָג}$  h. e. vt sit vagus & profugus, accommodatissime reddidit vim vocis Hebrææ  $\text{וָיָג}$  per  $\text{וָיָג}$  Unstet B. Lutherus, *vid. eius Com. ad loc. Gen. & Marloratum ibid.*

§. 117. Vidimus hætenus vagabundum *in facto esse*. Considerandus etiam est *in fieri* seu *quomodo aliquis sine domicilio esse incipiat?* Præprimis cum ICTus *in d. l. nostr. 27. §. 2. ad municip.* hoc asserat esse difficile.

§. 118. Quemadmodum autem circa dictam quæstionem frustra laboramus, si nondum constat: *an aliquis sine domicilio esse queat?* Inde huc spectat quæstio: *an ciuibus a ciuitate recedere & domicilium mutare liceat?* ventilata a Grot. *d. l. B. & P. l. 2. c. 5. §. 24. conf. Schilter. Ex. 3. th. 5. p. 61. 62.* Ad quam quidem dupliciter videtur esse distinguendum I. Inter Principem summum & Magistratum inferiorem. II. Respectu Principis inter casum *voluntatis & voluntatis presuntæ.*

§. 119. *Principem summum* quod concernit, cum is subditis suis ex iure Ciu. non teneatur, hinc frustra ad decidendam controersiam afferuntur LL. Romanæ *l. 71. §. 2. ff. de cond. & demonst. l. 28. §. 1. ff. ex quibus caus. maior.* Nam ex principiis Iuris Nat. lis hæc dirimenda venit. Quia autem ex politicis constat, Principem (vel eum, qui Maiestatem in Repub. habet) in subditos suos summam exercere potestatem, quam vel ex pacto singulorum, vel iure belli obtinuit; inde in casu *voluntatis & si inuita Maiestate fiat*, discedere ciues ex ciuitate iure non poterunt. Si ergo lex in ciuitate lata reperiatur, quæ discessum prohibeat, vti de Moschis norum. *Grot. d. loc. & de Argiuis ex Ouidio refert Bœclerus ad d. loc. Grot. p. 176.* eidem vtique erit obtemperandum. Imo quamuis expressæ eiusmodi leges non adfuerint, nec in subiectionis pacto hac dere aliquid statutum fuerit, non tamen putarem subditos inuito Principe ex ciuitate migrare posse. Quamuis enim concedam Domino Pufendorfio *de I. N. & G. l. 8. C. II. §. 2.* eum, qui ciuitati se adiungit, cura sui ac rerum sua-



suarum haud quaquam se abdicasse, sed id potius egisse, vt in-  
 signe sibi firmamentum circumponat, tamen & illud certum  
 est, omnes ciues curam sui, curæ salutis & vtilitatis publ. sub-  
 iicere debere. Inde etsi sæpe contingat, vt publicum regimen  
 priuatis alicuius rationibus parum expediat, & vero postulari  
 nequeat, vt ad vnius aut paucorum lubitum Respub. reformetur;  
 non tamen illud proximum est (quod putat Pufend. d. l.)  
 vt ipsis sit concessum per migrationem rebus suis consulere, sed  
 potius, si Princeps dicat vtilitatis publ. interesse, vt maneat,  
 parendum erit, quamuis migrare volentibus vtilitas ista a Prin-  
 cipe præsentia non appareat, cum iudicium de eo, quod ciuita-  
 ti proficuum sit, soli Principi in statu legali ad euitandas lites  
 relinqui debeat. Præterea cum ingens disparitas inter societa-  
 tatem Ciuium & societatem vulgarem v. g. mercatorum depre-  
 hendatur, illa quippe inæqualis est, hæc æne inæqualitate; *conf.*  
*Grot. d. loc. 1. C. 1. §. 3. Sec. 2. inde instantia Dn. Pufendorf. d. l. in f.*  
 ab aliis societatibus desumpta parum quadrat.

§. 120. De voluntate Principis expressa dubium esse nequit,  
 quo spectat l. 1. C. d. incol. l. 4. ff. ad municip. l. 12. §. 9. ff. de cap. & post  
 reuerf. Idem dicendum, si certo onere ea licentia est redimenda,  
 puta summa quadam pecuniæ aut aliqua bonorum portione, *Vid.*  
*Magnif. Dn. Rhetii Disp. de Sarcina emigrantium.* Leges enim pæ-  
 nales disiunctiæ, subditis electionis arbitrium relinquunt. At si  
 Princeps neque emigrationem publice prohibuerit, nec permi-  
 serit, & de præsumpta eius voluntate quæstio sit, h. e. stilo Grotii d.  
 lib. 2. C. 5. §. 24. an liceat subditis discedere non impetrata venia? An-  
 te omnia considerandum erit, an abire cupiens ad peculiare  
 munus Reipubl. præsertim ad certum tempus sese adstrinxerit,  
 puta quod legationem obeat, aut in expeditione versetur. *Pufen-*  
*dorf. d. l. §. 3.* tum an non aperte ciuitatis interfit peculiariter, ne  
 discessus fiat v. g. si magnum contractum sit æs alienum a singulis  
 soluendum, si obsidio immineat, & ciuitas defensionibus indi-  
 geat, *Grot. d. l.* quibus casibus expresso ciuitatis consensu & venia  
 impetrata vtique erit opus.

§. 121. Si autem non adsit apertum Reip. interesse, neque ad  
 peculiare munus Reipub. me obligauerim, tum aliud de pluribus  
 simul



simul & quasi gregatim discedere volentibus pronuntiat Grotius, aliud de singulorum discessu. Singuli absque impetratione veniæ expressa discedere poterunt, *Grot. d. l. Sec. 2.* quia pactum, quo ciues ciuitati se subiecerunt, ita explicandum est, vt quam minimum lædatur libertas naturalis, renuntiandi iterum vnioni ciuili, nisi ad aliud vtilitas publica ciues obliget. *Magnif. Dn. Ziegl. ad d. Grotii l. p. 289.* quem non recte capiens Henniges in not. *ibidem p. m. 484.* fusra a Grotio dissentit ac aperte casum voluntatis cum casu voluntatis præsumptæ confundit. Dum enim singuli manifeste abscedunt (clandestinam quippe fugam & hic improbo) & vero nulla appareat ratio interesse publici, quæ ipsos ad impetrationem veniæ commoueat, quemadmodum in aliis actibus publicis, qui in Principis notitiam venire poterunt, Princeps taciturnitate sua eos approbat, ita & hic tacendo Princeps præsumitur conuiuere in discessum singulorum, si eidem non contradicat, nec legem prohibitiuam hac de re iam antea tulerit.

§. 122. Quæ ratio cum etiam adsit in pluribus gregatim ac manifeste discedentibus, & his quoque licentiam darem non impetrata venia abire, quamuis & Grotius *d. l.* & Hennig. *ibidem p. 483.* (vterque tamen ex diuersis principiis) dissentiant. Quam enim vrget Grotius decisionis suæ rationem, quasi si id liceat, ciuilibus societas subsistere non possit, ea quidem non cohæret, quia per migrationem Ciuium etiam gregatim factam, non semper ciuitas debilitatur, sed quandoque vtilitas Reip. migrationem Ciuium suadet, si v.g. ea ad sustentationem illorum sit incapax: Testantur id tot Colonix a Gentibus ex ista causa missæ, imo aliquando citra consensum a Repub. sua auulsæ, de quibus videatur Lazius in opere de aliquot G.G. migrationibus. Quod si autem vel maxime debilitetur Respublica, princeps eidem per prohibitionem facile obuam ire potest, cui opponere se migraturi iure non potuerunt per dicta §. 117. Illud tamen hic notes velim, si qui gregatim discedere velint, illis perinde, vt singulis, territoriorum ciuitatis esse relinquendum. Alias enim summa Imperiorum confusio foret, si liceret integris vrbibus & regionibus pro lubitu a ciuitatis imperio se subtrahere, & aut alteri se subiicere, aut peculiarem



culiarem deinceps Rempubl. constituere. *Pufendorf. d. l. §. 4.*  
 §. 123. *Magistratus inferiores vid. §. 118.* præscripta superioris sui hoc in passu obseruare necesse habent, ac iuxta leges in ciuitate hac de re latas iudicare debent. Inde si lex in Repub. discessum permittat, nec ipsi eundem impedire poterunt. Ita beneficium emigrandi subditis diuersæ religionis per constitutiones Imperii publicas concessum *arg. Pac. relig. de anno 1555. §. wo aber unjere; & Instr. Pac. Cesar. Sued. art. 5. §. voc. conuentum autem est (aliis §. 36.)* contraria Principis vel alterius Status Imperii lege aut statuto tolli nequit, quia status Imperii in respectu ad Imperium totum pro magistratibus inferioribus sunt habendi *conf. inf. §. 153. seqq.* Sin vero prohibuerit Princeps migrationem subditis suis, magistratum minorum officium est, vel coercere remediis competentibus abire ex Repub. cupientes, vel id summo Principi denuntiare. Quod si autem ciues municipales, posita eiusmodi lege prohibitiua, ex vno municipio solum in alterum sub eiusdem Principis Iurisdictione situm, transferre velint habitationem suam, non poterit discessum istum cæteris paribus prohibere magistratus inferior, cum leges prohibitiuæ, quæ libertatem restringunt, tanquam odiosæ strictim explicari debeant. *Conf. quoad hanc quæst. Lauterb. de domicilio cap. 9. n. 213. & seqq. Ex cuius n. 237. seqq. etiam obiter illud nota, ea, quæ hæctenus dicta sunt, procedere de domicilio voluntario, non necessario, quod absque distinctione nemo licite relinquere potest.*

§. 124. Ergo domiciliu desertio licita quandoque est. Remanet autem quæstio §. 117 proposita: *quomodo aliquis fiat vagabundus?* Ad cuius decisionem duo requiro. 1. vt quis domicilium suum deserat. 2. vt aliud domicilium non habeat.

§. 125. *Primum* requisitum quod concernit, quemadmodum ad constitutionem domiciliu non sufficit nudus habitationis actus, sed præterea & animus ac intentio perpetuo ibi manendi requiritur, ita & vtriusque huius requisiti contrarium ad domiciliu desertionem est necesse. *l. 35. de R. I.* Quapropter sola voluntas domiciliu deserendi, licet verbis & literis fuerit declarata, ad solutionem domiciliu non est sufficiens, & insimul deserens obstrictus est, vt habitare in isto loco desinat *l. 20. ff. ad municip. A. B. c. 16. ibique Arumæus & Limnæus vid. §. 122. inf.* §. 126.



§. 126. Versa vice licet quis habitationem suam transtulerit in alium locum, absque tamen animo derelinquendi, is utique retinet domicilium prius *arg. l. 27. §. vlt. ad municip.* In exemplum adduco eos, qui ob grassantem pestem aut belli pericula res familiamque suam alio transferunt. *conf. Richter. de Sign. Adverb. voc. competenter p. 112.*

§. 127. Hinc si v. g. Titius Lipsiæ domicilium habuerit, & postea per aliquod temporis spatium in diuersis locis habitare & ita vagari incipiat, quæritur, *an pro vagabundo sit præsumendus?* Respondeo, non præsumi, sed mutationem aut desertionem domicilii, ut quæ facti est, ab allegante probandam esse. *Carpz. l. 6. resp. 49. n. 17.*

§. 128. Sed *quomodo probabitur aliquem esse vagabundum?* Mascardus *de probat. Vol. 4. con. 1403.* Peguera *dec. aur. 3. in addit. n. 14* ex aliis ibidem allegatis probari dicunt, aliquem esse vagabundum, si firmum domicilium nec mansionem vllibi habeat, sed per mundum vegetur. Quæ quidem responsio videtur petere id, quod est in principio. Nam si notorium est, aliquem non habere domicilium, & tunc notorium quoque erit, eum esse vagabundum, adeoque quia notoria probatione non indigent, hæc quæstio etiam de probatione frustra moueretur, tum enim alter, qui asserit eiusmodi hominem domicilium habere, id probare deberet, cum & constitutio domicilii respectu eius, quem constat nullum domicilium habere, facti sit, adeoque probanda, ut recte notant Mascardus & Peguera *dict. L.L.* Si autem casus sit dubius (ut in §. *antec.*) tum æque dubitatur, an Titius firmum domicilium nullibi habeat, atque dubium est an sit vagabundus. Ergo ista Mascardi responsio implicat magis quam erudit. Quamobrem ad quæstionem propositam nobis distinctim videtur esse respondendum.

§. 129. Et in eo quidem casu si Titius expresse domicilium Lipsiæ resignauerit, difficili probatione haud erit opus, tunc enim is, qui asserit, eum iterum constituisse domicilium, probatione onerabitur *per §. antec.* At si aperte non declarauerit voluntatem deserendi, coniecturis opus erit. Sed quibus? Puto quemadmodum in constitutione domicilii ab actu continuatione quando.



quandoque ad animum argumentamur, vt si quis Lipsiæ v.g. assidue habitauerit, censeatur cæteris paribus & Lipsiæ domicilium habere, *l.2.C.vbi Senat. & claris.* ita & in eiusdem desertione, si quis assidue per mundum vegetur & aliæ coniecturæ non ducant in contrarium, censebitur vagabundus esse.

§ 130. Dico: si assidue vegetur. Solus enim vagandi actus vagabundum non efficit. *conf. §.84.* alias omnes, qui peregrinantur, vagabundi forent: sed requiritur insuper actus huius per diuturnum temporis & spatium continuatio. Quantum autem tempus & quotanni ad id requirantur, quoniam in Iure Civ. definitura non est, arbitrio Iudicis relinquendū erit. Putarem tamen, vti ex communi DD. sententia is, qui per decennium in alio loco assidue habitauit, domicilium pristinum mutasse censeatur, ita & eum, qui per decennium hinc inde habitando vagatus est, pro vagabundo haberi.

§ 131. Dixi porro §.129. nisi aliæ coniecturæ ducant in contrarium. propterea si plures res mobiles aut immobiles Lipsiæ adhuc possideat Titius, easque per Procuratorem administrari curet, non putarem eum, etsi per decennium ita vegetur, pro vagabundo habendum esse. Coniectura enim ab actu vagationis desumpta, per coniecturam a possessione maioris bonorum partis eliditur. *arg. l.2.C.vbi Senat. & Clariss. l.vn.C.vbi pet. tutor. & Curat.* Si autem nullas res immobiles aut pretiosas mobiles Lipsiæ habuerit, coniecturæ a decennali vagatione locus erit. Denique si res mobiles omnes vendiderit, & postea vagari inceperit, etiam si minori quam decennii spatio vitam istam egerit, pro vagabundo tamen habendum arbitror, quia coniectura venditionis bonorum, coniecturam a continuatione vagandi desumptam adiuuat. *conf. Cothman. Resp. 73. n. 72.*

§, 132. Cæterum, quia domicilium absque loco habitabili esse nequit, inde ab interitu ipsius domicilii materialiter considerati aliquando coniecturam, quod aliquis vagabundus sit (si sc. simul actu vegetur) desumere licebit, v.g. si chasmate periit aut capta est ut Troia, vel aratrum passa vt Carthago &c. *vid. supr. Gloss. c.1. §. 4.* quod tamen ad forum originis cum Glossa non erit restringendum per sæpius dicta, sed ad quodlibet domicilium extendi potest.

§. 133.



§. 133. *Secundo* ad vagabundum requisitum §. 125. ut aliud domicilium non habeat, quod dupliciter potest contingit. *Vno* modo, si nec aliud domicilium sibi constituere desideret, ut faciunt communiter Cingari, mendicantes validi, milites vagabundi &c. *Altero* ut quærat, quo se conferat, & ubi constituat, quod plerisque exsulibus in usu est.

§. 134. *Posteriores* modum quamuis Iulianus in *l. nostra* 27. solum recenseat, non tamen est opinandum, ac si ideo priorem excludere voluerit. Non enim animus est Icto ibidem determinandi aut definiendi, quis sit sine domicilio? Sed declarandi tantum propositam quæstionem per exemplum. Ac præterea vagabundi prioris generis illo tempore nondum dabantur. Quid quod nec posterioris modi exempla deprehendebantur frequentia. Difficile enim esse, inquit Ictus aliquem sine domicilio existere, quæ tamen difficultas hodie ob frequentiam vagabundorum expiravit.

§. 135. Simili modo intelligenda sunt verba Icti, eum sine domicilio esse asserentis, qui domicilio relicto *naviget* aut *iter faciat* &c. h. e. ut ipsa non determinatiue exaudiantur, sed per modum exempli. Etenim vagabundus etsi per annum v. g. vno in loco commoretur, si tamen non habeat animum perpetuo ibi manendi, vagabundus ad huc manet. Nondum enim habet domicilium, sed ad huc *querit, quo se conferat, atque ubi constituat*, stylo Icti d. l. 27.

§. 136. Hæc verba ultima (*querens, quo &c.*) cum haud frustra addiderit idem, ac in iis nervus totius decisionis consistat, id eo non erunt omittenda. Nec ad mentem Icti videtur explicare *L. nostram Magnif. Dn. Struu. Ex. 9. th. 33.* statuens: si quis & animum habeat prius domicilium mutandi, & factum quoque huic animo coniungat, e. g. *Si domicilio relicto naviget & iter faciat ad alium locum, ad istum tamen locum destinatum nondum pervenerit, & habitationem ibi instituerit, tunc eum recte dici sine domicilio esse per L. nostram 27. §. 2. ad munic.*

§. 137. Ergo vero eum, de quo *Dn. Struu.* loquitur, sine domicilio *priori* quidem esse concedo, utpote cum ad hoc re ipsa & animo deserendi decesserit. *conf. Lauterb. de domicil. c. 9. n. 247.*  
sine



sine omni tamen domicilio eum esse, atque adeo legem nostram ad istum casum recte applicari, nego. Nam Iulianus de eo verba facit, qui non solum iter facit & nauigat, sed etiam qui *querit*, ubi constituat, Dn. Struuius autem eiusmodi casum præsupponit, ubi quis locum, quo se conferre ac ibi consistere velit, iam destinauerit.

§. 138. Decepit autem haud dubie virum Magnif. phrasis Iuliani *ind. l. 27. iter faciendo quærere locum consistendi*; quæ duplici modo videtur posse intelligi; Vno, vt prædicetur de eo, qui certum sibi in quo maneat, locum nondum elegit, sed adhuc dubius eundem *querit*, atque adeo ad varia loca proficiscitur, donec tandem commodum sibi domicilium reperiat. Altero, vt notet eum, qui iam certam habitationis sedem elegit, v. g. Hamburgum, & a priori domicilio iter faciendo eum locum *querit*, h. e. qui v. g. a Lipsia Hamburgum versus proficiscitur.

§. 139. Prior significatus phraeos vt magis proprius est, ita eundem Iulianus absque dubio in mente habuit. Quærere enim primario dicimus id, quod ubi sit, nescimus. Et ideo §. 134. Exules in huius rei exemplum attuli, qui communiter incertis locis tamdiu degunt, donec firmam stationem iterum adipiscantur.

§. 140. Posteriores autem significatum phraeos considerasse videtur Dn. Struu. Nam & quærere aliquem dicimus, quem opinamur esse in certo loco v. g. quærere aliquem domi &c. At vereor, ut I Crus hoc modo voluerit intelligi. Eum enim, qui ita proficiscitur, vagabundum dicere velle, absurdum foret. *conf. Farinacium lib. 1. q. 7. n. 16. in f.* Si autem vagabundus non est, nec sine domicilio erit, ob reciprocationem definitionis cum definito.

§. 141. Verum, inquires, facile demonstrari poterit eiusmodi hominem non habere domicilium, quia sine domicilio priori eum esse iam §. 137. concessum fuit. Porro nec Hamburgum, ad quod tendit, tempore itineris pro eius domicilio haberi potest, quoniam etiam ad domiciliū constitutionem *supra §. 105.* Præter animum requisuimus habitationis actum, qui hoc casu deficit *arg. l. 20. ad municip.* cum nemo in eo loco, ad quem itinere proficiscitur, actu habitare dici possit. Ergo is de quo quæstio est,



est, cum neque in pristino loco domicilium amplius habeat, nec in eo, ad quem tendit, vtrique nullum habeat domicilium, & ita vagabundus erit.

§. 142. Quid itaque dicemus? Ad destinationem confugiendum esse opinamur, cuius cum egregii in iure nostro sint effectus, & iste præprimis, quod destinata inducant naturam rei principalis *arg. l. 2. C. de bon. vacant.* hinc & eo casu destinatio Hamburgum versus iter facientis, illum a vagabundorum numero eximet, & quasi iam actualiter ibi habitet, operabitur.

§. 143. Sed gratis hæc disputantur, dices: Quem enim vagabundus sit nec ne? Certe quamdiu in itinere est, Hamburgi nec honorum particeps est, nec onerum. Esto. At effectus domicilii præter hæc se etiam in iurisdictione exferit. Ergo, cum alibi dicemus vagabundum vbique conueniri posse, siue ciuiler situe criminaliter, nec vllibi exceptionem fori incompetentis habere, vtile erit cognoscere, an eiusmodi iter faciens &c. possit in locis, per quæ iter facit, quæque alias neque ratione contractus, nec rei sitæ, nec delicti fori competentiam ipsi tribuunt, tanquam vagabundus, seu qui sine domicilio est, conueniri, & puto quod non, sed potius Hamburgi tanquam in domicilio destinato esse conueniendum.

§. 144. Sufficiant hæc de definitione vagabundi. Venio ad diuisionem, quam quidem pro diuersitate fundamenti variam dare possumus. Si *quantitatem* vagantium respicias: vagabundi vel vagantur singuli, vel per gregem & cohortem, vt Cingari &c. Si *qualitatem*: sunt vel Laici, vel Clerici: vel literati vel illiterati, & ita deinceps. Nos omiſſis his & similibus illam tantum euoluemus distinctionem desumptam a *causa vel impellente vel finali*.

§. 145. Communis DD. *titulum ff. ex quibus caus. maior. explicantium* distinctio absentia est in necessariam & voluntariam, quorum vtramque optime cum aliis subdiuidit B. *Eckolt. add. t. §. 3.* in laudabilem, vituperabilem, & indifferentem. Distinctionem hanc secuti vagabundos quoque diuidimus in *necessarios & voluntarios*: Illos appellamus, qui necessitate extrinseca coacti contra voluntatem suam domicilium suum deseruerunt, quamdiu



diu commodum sibi domicilium reperire non possunt. *Hos dicimus, qui vel sponte domicilium dereliquerunt, vel sponte in statu vagantium persistunt, quamvis alibi commode iterum consistere possint.*

§. 146. *Ad necessarios vagabundos referuntur a quibusdam Exules, Relegati, Banniti, iique, qui grassantis pestis vel belli tempore, vel religionis causa habitationes suas deseruerunt. vide Myl. d. Disp. c. 1. n. ult. Verum ut illi, qui belli vel pestis tempore habitacionem suam alio transferunt, pro vagabundis non sunt habendi per dicta §. 126. ita & quoad Relegatos distinguenda sunt tempora antiqua ab hodiernis. De iure Civ. Relegatus pro vagabundo non est habendus, cum non solum domicilium necessarium habeat in eo loco, ad quem relegatus est l. 22. §. 3. ad municip. sed & domicilium eo in loco, unde arcetur, habere possit. l. 27. §. ult. eod. Quoad mores nostros relegatio quidem, quæ fit cum fustigatione, deportationi similis esse a quibusdam asseritur, vid. Philipp. Vj. pract. ad Inst. lib. 1. Ecl. 73. n. 2. Wesenb. in paratit. ad tit. ff. de interd. & relegat. n. 4. Schulz. in Synops. I. at tit. quibus modis P. P. solv. lit. a. At relegatio simplex relegationi Iuris Civ. adhuc respondet. Philipp. d. l. Inde si relegatus deseret domicilium a quo relegatus est, & vagari inciperet, esset quidem vagabundus, sed voluntarius. Nec obstat quod relegati communiter a DD. inter necessarios absentes referantur vid. B. Eckolt. loc. cit. Respondeo enim: causam absentiae cum causa vagationis non esse confundendam; quippe haud sequitur: hic necessario absens est, ergo & necessario est vagabundus, cum vagatio non sit necessarium consequens absentiae. Limitationem tamen patietur assertio nostra ex §. 149. Nec obstat quod modo diximus, relegatos habere domicilium necessarium in loco in quem relegati sunt. Nam relegatio hodierna raro fit in certum locum.*

§. 147. *Exilium quamvis etiam de relegatione prædicetur l. 5. ff. de interd. & releg. Petr. Gregor. Tholos. Syntag. Iur. lib. 3. c. 6 n. 9. & 16. proprie tamen exules dicebantur illi, qui deportati erant, & a relegatis distinguebantur. Tholos. d. l. n. 7. in f. Inde Quidius lib. 2. de Tristibus:*

*Quippe relegatus non exul dicor &c.*

Cum



Cum ergo hodie in deportationis locum Bannum successerit, hinc de *Exulibus & Bannitis* quæritur: an sint *vagabundi necessarii*? quæ quæstio determinari nequit, nisi prius viderimus an *Banniti sint vagabundi*?

§. 148. Mouent hanc controuersiam Farinacius *Prax. crim. lib. 1. qu. 7. n. 16. Besoldus in Thes. pract. voce Haushebblich p. 369. Peguera Dec. 3. n. 14. in addit. Menochius de arbitr. Iud. quest. lib. 2. cent. 6. casu 531. n. 11. Tuschus Pract. concl. T. 8. lit. V. concl. 10. n. 3. &c.* quos inter optime procedit Farinacius *d. l.* distinguendo, an bannitus post bannum incipiat vagari per orbem; an vero statim postquam bannitus est, eligat sibi aliud domicilium. Hoc casu vagabundus non est, *conf. dicta §. 137. seqq.* bene tamen priori.

§. 149. Et quidem inter *necessarios* recte eum referri arbitrator, quia coactus est domicilium pristinum deserere. Quamuis autem non cogatur per necessitatem absolutam, vt vagetur per orbem, sed & ipse alio in loco domicilium sibi constituere queat, si tamen commodum sibi facile ab initio non possit inuenire, necessitas ista, quæ eum, vt a domicilio suo abire, coegit, tandiu continuatur, donec commodum domicilium ipsi se offerat, quo casu si perpetuet vagationem, ex *necessario* fit *voluntarius*.

§. 150. Cæterum *Exules* communiter hodie appellantur illi, qui *religionis causa* domicilium suum reliquerunt, qui cum pro deportatis aut bannitis haberi nequeant, quæritur: quid de his sit pronuntiandum? Resp. Ius reformandi quidem in Imperio nostro Rom. Germanico statibus Imperii competit per *constit. Pac. Relig. an. 1555. §.* Und damit solcher Fried, ac superioritati territoriali cohæret: *Instr. Pac. Cas. Sued. arr. 5. §. Quantum deinde 29 Illustriss. Dn. Eckendorff in Fürsten-Staat. p. 2. c. 11. n. 1. & c. 15. n. 3. seqq.* Quod subditos autem ipsorum concernit, per dictum instrumentum pacis lis post longam altercationem ita fuit sopita, vt ii, qui anno 1624. in exercitio religionis suæ, a religione Domini discrepantis, siue publico siue priuato fuerint, in eodem statu relinqui, & id exercitium etiam in posterum vna cum annexis retinere debeant. *§. libera imperii ciuitates*



28. & §. Hoc tamen 30. art. 5. Quacunq̄ue autem anni 1624. parte subditi isti in exercitio fuerint, perinde est d. §. Hoc tamen 30. neque adeo constitutio Instrumenti pacis ad diem primum Ianuarii eiusdem anni restringi debet cum Myler. ab Ehrenboch. de statibus Imperii art. 2. c. 83. n. 2. & aliis, qui ad istam sententiam commoti videntur mihi, non quidem ex §. terminus a quo 2. art. 5. Instr. Pac. ad quem responderet Magnif. & Iuris Consultissimus Dn. Rhetius de Iure Stat. Imper. circa sacra c. 4. §. 8. Sed per d. §. Libera Imperii ciuitates 28. qui expresse etiam quoad religionis exercitium dici. Ian. ann. 1624. meminit; ad quem tamen facile responderi potest, eum non restrictiue esse accipiendum, sed per sequentem d. §. hoc tamen 30. satis perspicue ampliari conf. & §. Placuit porro 33. verbis: nulla anni parte.

§. 151. Quod si vero Catholicorum subditi Augustanæ Confessioni addicti, vt & Catholici A. Confessionis statuum subditi de ann. 1624. religionis suæ exercitium non habuerint; nihilominus tamen a Domino suo patienter tolerari & conscientia eorum libera relinqui, ipsisque deuotio priuata absque tamen religionis exercitio in isto territorio permitti debet d. §. placuit porro 33. Magnif. Rhet. d. l. n. 11. & si alium in locum emigrare desiderent, libera a Domino id ipsis concedendum est §. Quod si vero 35. ibid.

§. 152. Si igitur eiusmodi subditis placeat in protectione Domini sui manere, tunc ipsi quidem, si modo in cæteris officium suum cum debito obsequio & subiectione adimpleant, nullisque turbationibus ansam præbeant, nullibi ob religionem despicatui haberi, nec a mercatorum, opificum, aut tribuum communione &c. multo minus publicis cæmeteriis honoreue sepulture arceri, sed in his & similibus paricum conciuibus iure debent vti d. §. siue autem 34. Quo tamen non obstante, sententiam B. Carpzouii lib. 2. Iurispr. Consist. def. 383. defendi posse putamus, statuentis, Catholicos, & Caluinianos in prouinciis statuum Euangelicorū, in quibus scilicet religionis exercitium ipsi non habent, honeste quidem sepeliendos esse, sed omissis vel pro ratione circumstantiarum temperatis ceremoniis conueneris. Dissent. Magnif. Dn. Rhetius d. l. n. 15. quibus & Lutherani in prouinciis Stra-

tuura



tuum Catholicorum aut Reformatorum morientes contenti esse debent, modo illis non plane denegetur honesta sepultura (de quo conqueritur Burgoldensis *ad Instr. Pac. part. 2. Disc. 15. §. 4. in fin. p. 135.*) Ab illis enim, qui diuersæ a nobis religionis sunt, postulari non potest, ut ceremonias in sepultura nostra contra conscientiam suam adhibeant, quæ ad laudem defunctorum & deprædicandam beatitudinem faciunt, uti sunt conciones funebres &c. adeoque merito religioni cuiuslibet ceremoniæ peculiæ res relinquendæ erunt: Neque opinioni nostræ contradicunt verba d. §. 34. *pari iure*: utpote quæ *honorem sepulturæ* simpliciter, non *gradus honoris* respiciunt, quorumque adeo sensus est: quod eiusmodi homines diuersæ religionis, *non minus* atque conciuies reliqui ab honesta sepultura arceri debeant, quamuis in his aliæ ac in illis obseruentur ceremoniæ. \*

G 3

§. 153.

\* Ita quidem tum sensi seductus videlicet per rubricam definitionis Carpzouianæ, in qua asseritur, quod honesta sepultura temperatis saltem quibusdam ceremoniis Catholicis & Reformatis non sit deneganda. Cæterum nigrum apud Carpzouium rubricæ isti non respondet, quin potius Carpzouius totus in eo est, ut ostendat Catholicis & Reformatis denegandas esse ceremonias ipsas honestas tanquam impiis, & Rescripta Consistorialia ibidem subiuncta hoc volunt, sepeliendos esse eiusmodi mortuos eo modo, quo sepeliri solent alias apud Lutheranos cadauera malefactorum, quod profecto non potest ad genera sepulturæ honestæ referri, & aperte repugnat Instrumento pacis in Disputatione allegato, post quod cum Carpzouius librum suum ediderit, debuisset sane ab hac definitione abstinere, neque in eum finem adducere Rescripta Consistorialia diu ante Instrumentum pacis emissa. Nec iuuat eundem iudicium Facultatis Theologicæ Wittebergenfis. Tantum enim adest, ut illud iudicium, ad quod prouocat, possit infringere sæpius laudatum pacis instrumentum, ut potius pax illa Westphalica sit norma communis, ad quam omnium facultatum Theologicarum responsa, & vel ipsius Lutheri, si uiueret, examinari debeant. Vnde non immerito denimio rigore nonnullorum ex Clero Luthero hac



§. 153. Si autem subditi illi nolint in ditione Domini subsistere, tum liberum ipsis est, aut retentis bonis & per procuratorem administratis, aut alienatis, discedere *d. §. quodsi vero 30. art. 5.* cum beneficium hoc emigrandi publica imperii lege ipsis fuerit concessum. Quod an *voluntatis*, an vero *necessitatis* sit? inter Iuris Pub. DD. disceptatur. h. e. an subditi dissentientes a religione Domini, cogi possint a Domino territorii, ut emigrant, an vero in ipsorum arbitrio sit, utrum manere aut emigrare velint? *Voluntatis* esse dicimus cum B. Carpzou. *Dec. 34. Mylero de statibus Imper. C. 83. §. 6.* Magnif. Domino Rhetio *d. l. n. 12.* ubi hanc sententiam *ex d. §. placuit & §. quodsi vero art. 5. Instrum. Pacis* firmiter corroborat, simulque *ad §. conuentum 36. verbis siue voluntarie siue coacte emigrantibus & d. §. quodsi vero 35. verbis: aut a territorii Domino iussus fuerit, solidissime in n. 13. responder.*

§. 154. Ergo ut ad scopum & propositam §. 150. quaestionem redeam, eiusmodi emigrantes, qui relicto priori territorio ita vagari incipiunt, & ob religionem *exulant*, pro vagabundis *voluntariis* habendi sunt, nisi Dominus ipsorum Instrumenti Pacis immemor, de facto eos expellat, quo casu quidem ad *necessarios* referendi erunt, sed sub limitatione §. 149. tradita.

§. 155. Praeter vagabundos *voluntarios* haecenus §. 146. & 154. recensitos, ad horum speciem referuntur etiam ab aliis *Histriones, Milites, Serui fugiui, Cingari, mendicantes validi &c.* *Myl. d. disp. c. 1. §. vlt.*

§. 156. Ac *mendicantes* quidem *validos* (vt ab his incipiam) quod concernit, cum de iis integrum tractatum collegerit Ahasuerus Fritschius, ideo prolixius esse nolo: vide etiam Pegueram *Dec. 4. Menochium arbitr. Iud. quest. lib. 2. cent. 6. cas. 532. Carpz. Iurisprud. Ecclesiast. lib. 2. def. 324. Polydorum Vergilium de rerum inuentoribus lib. 7. c. 7.* Atque hi utique ad *voluntarios* vagabundos referendi veniunt, modo illud obserues, quem admo-

---

parte conqueritur Illustrissimus Gottofredus de Iena *de ratione status Dissert. 22. Concl. 4. lit. D.*



admodum non omnis vagabundus est mendicans validus, ita nec omnem mendicantem validum esse vagabundum, *vt puta sunt verba Pegueræ d. loc. n. 9. quando quis integri & sani corporis in arte sua laborat, & ex alia parte necessitate ostiatim mendicat. quamuis hoc raro contingat.*

§. 157. Similiter & Cingari præprimis hodierni, *voluntarie* vagabundi sunt. Quamuis enim nulla ciuitas forte reperiatur, quæ totum gregem eorum recipere velit, atque adeo ad necessarios referri debere videantur, tamen de singulis non dubito, quin hinc inde commodum sibi reperire queant Domicilium. Cæterum de Cingaribus *vid. B. Patris peculiarem Disp. Früschiium de mendicantibus validis cap. 12. Besöllum & Speidelium, illum in thes. pract. hunc in speculo sub voce Zigeiner.*

§. 158. Seruos vero fugitiuos pro vagabundis *voluntariis* non agnosco, cum illi proprie loquendo ne quidem sint vagabundi per dicta §. 107. *Milites* autem si vagabundi sunt, recte referuntur ad *voluntarios*. Dico, *si vagabundi sunt*. Nam regulariter milites qua tales domicilium habent per §. 30. & seqq. Tum vero vagabundis annumerari solent, si militiam deseruerint & vagari incipiant, vbi Germanice eos appellamus *Gart-Brüder. vid. Dietherrum in addit. 4. ad Besoldi thes. pract. voce Häusheblich & voce Vaganten &c.*

§. 159. Denique & *Histriones*, qua tales, vagabundi haut sunt, cum & ipsi certis locis domicilium habere possint ac soleant. Quod si autem sine certis sedibus huc illuc oberrent, atque omnia sua secum portent, merito etiam voluntariis annumerantur.

§. 160. Iam quemadmodum a DD. absentes tam necessarii, quam voluntarii, in tres dispescuntur species, sc. vt alii sint laudabiles, alii vituperabiles, alii denique medii seu indifferentes, ita vereor, vt hæc ipsa diuisio ad vagabundos necessarios, ac voluntarios queat applicari, non, quod *vagari sua sponte per se sit delictum, Mylius d. l. c. 5. §. 1.* quæ quorundam opinio est, de qua alio tempore, sed quod vagabundi spontanei plerique sint homines nequam. Tentabimus tamen.

§. 161. Vt igitur a *voluntariis* initium fiat, *laudabiles* omni-  
no



no sunt isti, qui in domicilio suo exercitium religionis non habentes id amore eiusdem derelinquunt, atque aliud commodum quærunt, de quibus §. 154. Reliqui fere omnes vituperari merentur: de relegatis §. 146. non est dubium, cum hic nobiscum consentiant DD. vid. Eckolt. ad tit. ff. ex quibus caus. maior. §. 3. de Mendicantibus validis vid. const. Crim. Carol. art. 39. v. derz gleichen: Reformation guter Pollicey de ann. 1548. t. von Bettlern und Müßiggängern t. 1. C. de mend. valid. & aut. supr. §. 156. citat. Cingaros in Rep. haut quaquam tolerandos esse, nec tolerari, experientia docet. Aduersus milites vagantes grauiter cautum, eos pro bannitis habendos esse: dicta reformat. guter Pollicey de ann. 1548. tit. 24. von Herrenlosen Knechten & passim in Recessibus Imperii, quos allegat Knipschild de fideic. fam. illustr. c. 8. n. 467. p. m. 409. De Histronum insamia integrum conscripsit tractatum Albericus Gentilis citante Befoldo, voce Comödien. Ad indifferentes quos referas, paucos reperire licet, nisi huc referre velis primam Cingarorum progeniem, de quibus a nonnullis refertur, eos vt vagari inciperent, ex voto pœnitentiæ commotos fuisse, quod scilicet abiecto Christianismo per septennium ad gentilitatis errores relapsi fuissent. vid. B. Pater de Cingaros §. 59.

§. 162. Ex necessariis illi iterum merentur laudem, qui a Dominis suis de facto ob religionem eiiciuntur, Banniti contra, cum in iis absentiae causa delictum sit, vituperium. Indifferentibus eos accense, quorum domicilium seu ciuitas, in qua domicilium habebant, vi quadam maiore desolata est, atque funditus ruinam passa. vid. supra §. 4. Hi enim nec laudari debent, nec vituperari, sed deplorari.

§. 163. Sufficere hæc possent de diuisione *Ανεύτων*, nisi pauca restarent de alia quadam eorundem diuisione vel distinctione potius dicenda, secundum quam vagabundi sunt vel *veri* vel *presumpti*. Deprehendes vestigia huius distinctionis apud Carleualium de iudic. tit. 1. Disp. 2. n. 720. vbi dicit: furem, qui cum re furtiua fugit ex vno loco ad alium, esse vagabundum *vere* vel *presumptiue*, quia suspicio maxima & spes est ipsum in locum originis vel domicili sui non migraturum intra breue tempus, quam in rem allegat Lucam de Penna, Cataldinum, Follerium &c.



&c. statuentes vnanimiter, eum, qui ob delictum ex patria fugit, ex ea fuga censendum vagabundum, ita vt vbique puniri possit per *l. i. C. vbi quis de curiali vel Cob. conf. & eundem Carleualium ibidem n. 838.* Sed idem tamen Carleual. *d. l. n. 746. & 852.* doctrinam istam in genere propositam valde dubiam esse ait, quia is, qui a patria fugit ob crimen patratum, domicilium non amittat per *text. l. Si mulieri 22. & ibi Bartolum ff. quibus modis vsufr. amittatur.* Eos autem, qui domicilium proprium habent, vagabundos non esse.

§. 164. Meam de hac quaestione opinionem quod concernit, dico distinctionem istam vagabundi in *verum & presumtum* admittere duplicem explicationem, i. vt *presumtus & fictus* synonymice vsurpentur, sitque adeo vagabundus *verus*, qui reuera non habet domicilium, *presumtus*, qui etsi domicilium habeat, a iure tamen per fictionem fingitur esse vagabundus, h. e. non obstante domicilio quod habet, effectus & attributa quaedam ipsi tribuuntur, quæ alias vagabundis competunt. Et hæc mens Follerii ac reliquorum §. *anteded.* citatorum fuisse videtur, vtpote expresse de iure vagabundorum loquentium, quod nempe is, qui ob delictum aufugit, censeatur vagabundus, e. g. possit vbique puniri, qui est effectus vagationis. Quo pacto satis apparet, Carleualium his DD. haud accurate contradicere, dum pro refutandis iis adducit, quod eiusmodi homo retineat domicilium h. e. quod non sit vagabundus verus, de quo tamen non erat quaestio. Ego igitur distinctionem ita explicatam tolero quidem, atque pro exemplo presumti vagabundi eum, qui ob delictum patratum ex patria fugit, habeo, illumque quamuis domicilium suum retinuerit, cæteris tamen paribus, vbique conueniri ac quandoque puniri posse, & ita quoad hunc effectum vagabundo similem esse arbitror *arg. d. l. i. C. vbi quis de curial. &c. ibique Perez. & Brunnem.* Sed quoniam *vagabundo presumpto* definitio vagabundi a nobis tradita non conuenit, erit vtique non rei diuisio, sed distinctio nominis.

§. 165. Deinde 2. poterit & distinctio ista hoc modo explicari, vt per *verum* intelligatur is, qui non tantum actu ipso vagatur, sed & expressis verbis animum deserendi prius domicilium

H

decla-



declarauit: per *presumptum is*, qui vagatur quidem, sed de cuius animo certo non constat, verum coniecturis est opus. Atque hoc modo intellecta distinctio est quidem diuisio rei, sed analogica, quia *vero* vagabundo definitio nostra primario, *presumpto*, secundo competit, dedimus autem *presumpti* vagabundi exempla iam supra §. 129. & 132.

§. 166. An vero in hoc significato *is*, qui ob delictum ex Patria aufugit, pro *vagabundo presumpso* haberi debeat, valde dubito, non equidem *ob l. 22. ff. quibus mod. usufr. amit.* a Carleualio §. 163. adductam, cuius arg. id solum euincit, quod domicilium sola absentia corporea & ipso iure non amittatur, sed quia coniectura ab actu vagationis desumpta in hoc casu non probat animum deserendi domicilii, cum aperte alia adsit ratio, metus sc. poenæ promeritæ ob delictum commissum. Igitur si alia coniecturæ non adsint, negarem omnino eiusmodi fugituum pro *vagabundo* habendum esse.

§. 167. Neque frustranea est hæc duplicis significatus in distinctione allata discretio. Nam etsi huiusmodi delinquentem fugituum concesserim esse *vagabundum presumpsum* in acceptione prima §. 264. in eo tamen latet discrepantia, quod *vagabundo presumpso* primi significatus, competant solum certi effectus *vagabundorum verorum*, & ii quidem, qui expresse a iure Civ. iis tribuuntur; At *vagabundo presumpso* posterioris acceptionis, cum ei definitio *vagabundi* competat, competent etiam effectus atque proprietates *vagabundi* omnes. Quod pro differentia harum duarum acceptionum notasse non erit inutile.

§. 168. Atque iam ad effectus *vagabundorum* properandum esset, seu: *quenam sint iura eorundem?* Quæ quidem, ex antelatis circa definitionem occurrentibus tricis non difficile esset ostendere. Sed cum effectus sit extrarem, atque iam præter opinionem excreuerit disputatio præsens, hinc titulo eiusdem per iam tradita satisfactum a me esse arbitror, aut, si nondum satisfactum fuerit, a te B. L. ob materiæ grauitatem, & quod via regia nemine præeunte, media inter biuia, triuia ac deuia, inuenienda fuerit, disquisitionem effectuum, si Deus voluerit, peculiari dissertationi reseruans.



§. 169. *Contrarium vagabundi, vt nec hoc omittam, est acquisitio noui domicilii, quæ quomodo contingat a Dn. Struv. Ex. 9. §. 21. seqq. B. Lauterbach. Disp. de domicilio & aliis passim late ostenditur, ad quos breuitatis studio me remitto, illud solum repetens, quod domicilium neque sola animi contestatione l. 20. ff. ad municip. neque sola habitatione l. 17. §. 5. & 13. ff. eod. constituatur, ac propterea si v. g. Exules per aliquod temporis spatium, e. g. per annum, biennium &c. in ciuitate quadam habitent, non tamen id sufficere, vt statum vagabundorum cum statu domicilii permutasse censeant.*

ADDITIO.

DISPVATIO II.

DE

IVRE VAGABVNDORVM,

*habita Lipsiæ d. 23. Decembr. 1679.*

a

D. ANDR. MYLIO, Resp. DAV. BARTHEL.

CAP. I.

De

Iure Vagabundorum in genere.

SVMMARIA.

1. *Vagabundi nominis deriuatio.* 2. *Homonymia.* 3. *Definitio Realis.* 4. *Quid requiratur, vt dici possit Vagabundus.* 5. *Obiectio.* 6. *Responsio.* 7. *Vltior Vagabundi explicatio.* 8. *Differentia Vagabundorum ab erronibus.* 9. *Fugitiuis.* 10. *Exulibus.* 11. *Histriones, Mendicantes, Zyngari, quatenus pro Vagabundis sint habendi.* 12. *Bannitus qua talis non est Vagabundus.* 13. *Sicuti nec Miles.* 14. *Vagabundorum duplex datur Conditio, Voluntaria & Necessaria.*

H 2

Vaga-



- V**agabundum, Landstreichet † a) *vagare*, quasi crebro  
 a) *Ostendi in disput. præced. §. 112. Landstreichet non esse Synonymum Vagabundi.*
- 1  
 2  
 3  
 4  
 5  
 6
- veget, Calv. *Lex.* dictum, nemo non videt. Dupli-  
 citer † capitur, *improprie & metaphoricæ*, vt eos de-  
 notet, qui res suas sine ordine tractant, qui, quod aiunt, equum  
 per caudam frænare videntur, vel omnia tractant confuse, & ni-  
 hil certi arripiunt; Sic dicitur animus vagus, *Catull. de Bercinib.*  
*58. 1. Iuuentus vaga, Martial. lib. 2. 5. natura vaga, Horat. 2. Serm.*  
*Satyr. 7. 15. quo referri poterit, quod Ictus in l. 7. pr. π. de iniur.*  
*& famos. Libell. refert: qui famosam Actionem intendit, non debet*  
*vagari, cum discriminare alienæ existimationis; proprie pro persona,*  
*quæ incertis sedibus vagatur, modo in hanc, modo in illam ci-*  
*uitatem.*
- Est † itaque vagabundus persona, nullibi certam rerum  
 suarum b) habitationem constituens, *Gloss. in l. eius qui §. ad*  
 b) *Et hæc verba cur in definitione vagabundi omitti debeant, ostendi §. 89.*  
*Municip. Bartol. in l. 4. §. Prætor ait de Damn. infect. Chassan. ad*  
*Consuetud. Burgund. rubr. 12. n. 13. tit. de Profess. Damhoud Prax.*  
*Crim. cap. 31. n. 13. Mornac. ad L. 17. ff. de Edil. Edict. Gloss. ad marg.*  
*vagabund. Coler. de P. E. par. 2. cap. 1. num. 78. Carpzov. in Proc.*  
*tit. 3. art. 1. n. 63.*
- Vt ergo † vagabundus quis sit & dicatur, necesse est, vt  
 non firmam habeat habitationem in aliquo loco. *Bertach. in Re-*  
*pert. verb. Vagabundus*, vt sit sine Domicilio, *Carpz. l. 2. tit. 2.*  
*R. 25. n. 1. Card. Tusch. Pract. Concl. 10. verb. Vagabundus.* Sola  
 enim destinatio non permanendi, nec nuda habitationis dereli-  
 ctio non sufficiunt: Nam sicuti Domicilium non nuda contestatione,  
 sed re & facto transfertur, *l. 20. π. ad Municip.* ita nuda  
 destinatione contraria non amittitur, nisi naturalis eius conti-  
 gerit mutatio. Ast † dices, habitatione relicta locum originis  
 manere *l. 6. π. ad municip. l. 4. C. de municip. Gail. lib. 1. O. 1. n. 33.*  
*Malecom. Dissert. ad municip. §. 21. quia est immutabilis, vt nec*  
*eidem renunciari possit. Brunn. add. l. 4. C. de munic. Præter-*  
 quam † enim, quod hoc solum intelligendum de honoribus &  
 mune-



muneribus, & sic oneribus personalibus subeundis, secund.  
*L. 15. §. 3. l. 17. π. ad municip. l. vn. C. de munic. l. vn. C. mulier quo in  
 loc. lib. X. non vero ratione Iurisdictionis, quæ mutato domicilio  
 & ipsa mutatur. Zang. de Except. part. 2. cap. 1. n. 68. Gail. lib. 2.  
 O. 36. n. 5. & 6. nisi ibi deprehendatur, Bachov. Disp. 7. de Act. 8.  
 4. fol. 89. b. Hoc tamen non tollit, quin sit vagabundus, Tusch.  
 d. l.*

7 Dicta † tamen non sic exaudiri oportet, ac si omnis ille, qui  
 est sine Domicilio, vagabundus existimari debeat, alias enim  
 sequeretur, c) Studiosos, milites, fimilesue personas eorum  
 c) *Respondi ad hanc obiectionem §. 109.*

conditioni fore adscribendos; Sed hoc eatenus acceptum vo-  
 lumus, quatenus Domicilium deserens incertis locis sese con-  
 tinere, ac nullibi certas solet eligere sedes. Tum enim, quam-  
 diu tale vitæ genus affectat, pro vagabundo haberi debet. Ex  
 quo patet, quod relicto huius vitæ genere, aliquis vagabundus  
 esse desinat.

8 Constat † hinc differre *vagabundos* ab *erronibus*, *Fugitiuis*  
 & *Exulibus*. Nam *Errones*, d) licet frequenter & sine causa va-  
 d) *Aliam differentia rationem dedi §. 109.*

gentur, domum tamen, quamvis ferius, tempore scilicet in res  
 nugatorias consumpto, redeunt, *l. 17. §. 14. π. de Adil. Edict. Fu-  
 gitiui* † non animo deserendi Domicilium, sed ob euitationem  
 9 mali fugam arripiunt. *Exules*, † vel ex necessitate, vel sua spon-  
 10 te, tales dicuntur, relatione habita ad eum locum, a quo sunt  
 expulsi, etiamsi alibi Domicilium constituerint, quo ipso cum  
 vagabundis qua talibus nihil commune eos habere, palam est.  
 Negari tamen non potest, hos omnes vagabundos fieri posse, si  
 scilicet animum habendi Domicilium dereliquerint. Sic pa-  
 11 ter, neque Histriones, † neque Mendicantes, neque Zyngaros  
 fimilesue personas pro vagabundis haberi aliter posse, quam  
 quatenus sine Domicilio existant, *l. 27. §. 2. π. ad municip.* Recte  
 12 igitur infert Iul. Clar. *Pract. Crim. l. 5. §. 1. n. 9.* qui allegat Alberi-  
 cum in quarta parte *Statut. quæst. 80.* Bannitum † quatenus ta-  
 13 habitatione per mundum vagetur. Milites † quoque, quate-  
 nus



nus militant, vagabundi non sunt, quia Sacramento Stationi suæ sunt addicti, a qua, inuitis Ducibus, recedere non licet; finita vero militia, vel desertis Stationibus eos sæpenumero vagabundos fieri, quotidiana testatur experientia.

14 Est autem vagabundorum † *Conditio* vel *voluntaria* vel *neccessaria*. Illa ab Histrionibus, militibus, seruis fugitiuis, Cyn-garis, Mendicantibus; e) *Hæc* ab exulibus, Relegatis, Bannitis, iisque qui grassantis Pestis, vel belli tempore, vel religionis causa; habitationes suas deseruerunt, f) contrahitur.

e) *Examinaui exempla hæc* §. 155.

f) *Et de his exemplis fusius inquisiui* §. 146. seqq.

## CAPVT II.

De

### Iure Vagabundorum circa personas.

SVMARIA.

1. *Exosum vitæ genus Vagabundorum, nec in bene constituta Republica tolerandum.*
2. *Confirmatio eiusdem.*
3. *Officium Magistratus.*
4. *Deplorandi tamen, qui infortunio ad hanc conditionem redacti.*
5. *Vagabundorum conditio quoad Statum hominis naturalem & aduentitium consideratur.*
6. *In statu naturali omnes homines huic conditioni se accingere possunt.*
7. *Infantibus exceptis.*
8. *Non vero ceteris puberibus vel impuberibus.*
9. *Excipiuntur tamen & furiosi.*
10. *In statu aduentitio liberi & serui sunt Vagabundi.*
11. *An Matrimonium Vagabundus contrahere possit?*
12. *An Vxor Maritum Vagabundum sequi teneatur?*
13. *Dist. 13. Vxor pro Marito adultero intercedens sequi tenetur.*
14. *Quod tamen aliquando temperandum.*
15. *Mutato a Marito domicilio, vxor sequatur.*
16. *Confirmatio.*
17. *Vagabundus neque adoptare, neque arrogare potest.*
18. *Quod iudex arbitrabitur.*
19. *Sic quoque nec tutela nec Cura Vagabundis committitur.*
20. *Vagabundorum bonis Curator constituendus.*

1 **E**Xosum † esse vitæ genus vagabundorum, nec in Republ. bene constituta tolerandum, euincit, quod homines eiusmodi



- modi ad varia delicta, furta, rapinas, latrocinia sint proni.
- 2 **Causam** † si quæsiueris eam, sic habe, quia in perpetuo versantur otio, aguntque vitam inertem, labores aspernantur, & honesta quæque Exercitia, quibus vita humana firmatur, fugiunt, & exosa habent: sic se deliciis, comotationibus, poculis, choreis, reliquisque voluptatibus totum tradunt. Vnde delicta nasci posse, nemo, cui sanum pectus, inficias ibit. Magisteratus † igitur providebit, ne permittat ea, ex quibus occasio delinquendi nasci poterit; quod olim bene factum comperimus ab Imp. in *Nov. 80. cap. 5. §. 1.* optime gnaro, ex otio multa
- 4 **vitia**, innumera delicta in Republ. oriri posse. Deploranda † tamem illorum est **Conditio**, qui ob fauoritiam belli, pestis, religionis, similemue causam, sua relinquere, ac diuersis in locis vagari coguntur, qui sicut infortunio valde premuntur; ita æquitati naturali congruit, vt eorum misereamur, & quantum fieri poterit, opera Charitatis Christianæ iis exhibeamus. g)

g) *Paucis hic repete ex dissertatione nostra §. 161. seq. distinctionem inter vagabundos vituperabiles, laudabiles, & indifferentes. Laudabilibus & indifferentibus sine ratione præganti non deneganda receptio. Sed vituperabiles & præprimis voluntarii merito exosi sunt. Qui suscipi questionem hanc tractare velit, ei inseruiant quæ disserunt Dominus Schilter Dissert. pecul. de iure peregrin. Dominus Bœman Medit. Polit. XIX. th. 8. & Polit. Parall. I. th. 12. 13. 14. Adde Alex. ab Alex. Genial. Dier. IV. 10. Bernegg. quæst. ad Tacit. 125. Grot. de I. B. II. 2. 16. B. Patrem de Cingaris §. 27. 28. 57. 68. Ludou. Pegueram decis. aut. 3. n. 7. 8.*

- Cæterum † vagabundorum **personas** tum quoad **Statum**
- 5 **hominis naturalem**, tum quoad **aduentitium** consideramus. **Statium** † **naturalem** quod attinet, omnes homines, sine discrimine sexus, vagabundorum **Conditionem** accipere, indeque iuri, quod his dicitur, obligari possunt. Generaliter enim receptum est, vt, qui domicilium deferere, iidem etiam vagabundorum **forti** sese accingere queant. Proinde in ætate infantes † a cæteris puberibus & impuberibus distinguimus. Illos enim ingenii **Infirmitas** l. 5. π. R. I. excusat, nisi ob religionem, pestem, bellum cum parentibus, Tutoribus vel Nutriciis
- 6

emi-



8 emigrare cogantur; Hi vero † imprimis si doli capaces, a Parentibus, Magistris, aufugiendi, & sua sponte vagam vitam, & incertas ædium sedes eligendi habent potestatem \*) In furiosis b) † difficile est statuere domicilium, cum animo ac mente careant, i) d. l. 5. & 40. R. I. consequenter nec vagari eos

\*) *Voluit dicere potentiam vel quid simile. Potestas vox iuris est. Docus nunquam tribuit potestatem.*

b) *Mallet furiosorum statum referre ad statum aduentitium.*

i) *Hanc rationem non capio. Carent utique furiosi animo ac mente, sed propterea tamen domicilium ipsis non denegandum. Nam ante furorem domicilium habuerunt, uti regulariter fieri solet, id non amittunt per furorem, quia in furore id derelinquere nequeunt. Ergo id quidem recte asseritur quod non possint fieri vagabundi, etsi in furore vagentur in significato Grammatico.*

10 posse, asserendum videtur. In Statu † aduentitio liberos & seruos conditioni huic adscribimus, arg. l. 17. ff. de Edil. Edict. II l. 1. §. 1. π. de Fugit. l) An vero † Matrimonium vagabundus contrahere possit, m) non incommode quæritur? Videndum de

l) *De seruis dissentio ob rationes in disputatione §. 107. 158.*

m) *Confer de hac questione Besöldum in Thesauro Practico voce Hausßheblich fol. m. 396. Costanum de matrimonio, p. m. 71. seq.*

causa, ob quam hoc vitæ genus eligere necesse habeat, amissionem ciuitatis contineat nec ne; ita, vt casu superiori, veluti deportato, bannito matrimonium denegetur pr. Inst. de Nupt. l. C. de Incest. & inut. Nupt. n) *Vlp. in Fragm.*

n) *Vis horum textuum eo tendit, quod de Iure Ciuili nuptias contrahere nequeant, qui non sunt ciues.*

zit. 5. §. 3. iure scilicet Ciuili. Nam alias Naturali iure matrimonia eos contrahere posse, nulla dubitatio est, l. 32. π. R. I. Casu vero posteriori, v.g. inter eos, qui ex causa Religionis, pestis, Belli, vagam vitam elegerunt, nec certam suarum rerum sedem inuenire potuerunt, recte celebrantur. Nam vbi nullū delictum, ibi nulla pœna, & vbi nulla culpa ibi nulla noxia, o)

o) *Non videtur quadrare hoc argumentum. Quia & bannitis & c. denegetur matrimonium non tam in pœnam, quam quia carent requisito iustarum nuptiarum, cum non sint ciues. Hac igitur ratio cum &*



in vagabundis posterioris generis subfit, necesse est, ut & illi arceantur a matrimonio, quatenus est iuris ciuilib. Nam si nullus vagabundus habet domicilium, neque etiam nullibi erit ciuis. Moribus vero nostris procedet assertio auctoris, quia moribus nostris etiam peregrini recte matrimonium ineunt, sed hac ratione moribus nostris etiam bannitis ac aliis qui iura ciuitatis amiserunt, ius matrimonii ineundi non est donegandum, si modo cetera sint paria.

*l. 22. C. de pœn.* Sed quid † si Maritus sit vagabundus, an vxor <sup>12</sup>eundem sequi teneatur, non est concors omnium sententia? p)

p) *vid. Farinac. Part. 5. op. Crimin. qu. 113. n. 282. 283. Befold. voce hauffheblich f. 369. Conf. Cypr. de spons. & Rittersh. ad Nouellas allegatos Dierherro in addit. ad d. l. Befold. Et hi defendunt affirmatiuam. Pro negatiua militat Anton. Corseris in Singularibus, voce Vagabundus, qui tamen limitat, nisi sciens nupserit, quem sequitur Ludouicus Peguera d. decif. 3. n. 11.*

Sic vero omnium commodissime hanc sententiam decedi posse arbitramur, si distinguamus; an vxor sciens an ignorans vagabundo nupserit; si sciens, sequi omnino tenetur. q)

q) *Consentio, sed nota tamen, quod ex hac assertione sequatur, vagabundum matrimonium inire posse. Alias enim frustra quaereretur: an uxor ei sciens nupserit, nec ne?*

ro quis accusat mores, quos ducendo probauit, *l. 13. §. 10. π. ad L. Iul. de Adul. arg. l. 5. §. π. de Iniur. l. 9. §. 1. π. de aqu. plu. ar. cend.* Secus si ignorans. Sic enim vagam vitam elegerit dici nequit, cum nemo videatur probare, quod ignorat, *l. 47. π. Solut. matrim. l. 116. §. 1. π. R. I. Richter. part. 1. dec. 9. num. 6. r)*

r) *At Richterus de alio casu loquitur. Præterea in eo positum est momentum controuersia: An error circa conditionem vagabundi pertineat ad matrimonii essentialia, an ad accidentalia? Mallem asserere posterius, & adeo secundum communem Dd. sententiam, (quod error etiam dolo elicitus circa accidentalia non faciat coniugium nullum) affirmare, quod Uxor & talem maritum sequi teneatur. At si recipiatur sententia, quod omne matrimonium dolum sit nullum etiam si dolo interuenerit circa accidentalia, ut videtur recipi posse, tum uxor sequi non tenetur.*

Quod si ab initio, contracti matrimonii tempore, maritus quidem



dem certam fortunarum suarum habeat sedem, postea vero efficiatur vagabundus, dicendum, ut quamdiu in ea conditione manet, vxor in suo loco persistere possit; s) Sed si alibi electum est certum domicilium, vxoris partes erunt, habitationem ibi cum marito suo constituere, l. i. π. de R. N. Sed & si Maritus bannitus vel relegatus fuerit, non aliter sequatur, quam si alibi fixum sibi constituerit Domicilium, c) nisi † pro

13 s) t) *Mallet & hic tenere contrarium, quod vxor teneatur sequi maritum vagabundum bannitum & rebellem, quia matrimonium est consortium utriusque fortune, & quia per rebellionem mariti matrimonium non resoluitur. Scilicet de iure canonico & moribus (aliud de iure civili ob dicta lit. o.) Farinac. d. l. n. 282. ubi addit n. seq. hac in tantum procedere, ut vxor teneatur alere maritum bannitum de fructibus suæ dotis aut de bonis paraphernalibus.*

Marito adultero intercesserit, tamen cum Marito migrare tenetur, *Const. 9. part. 4. §.* Die weil circa med. verb. und der un- schuldige Theil seinem Ehegatten aus Unfern Landen folgen, darinnen ferner nicht wohnen, oder sich wesentlich auffhalten soll. add. *Carpzou. Prax. Crim. part. 2. Quest. 55. num. 18. 19.* Eleganter vero

14 *Heig part. 2. q. 14.* circa finem concludit, Sententiam † prædictam aliquando temperandam, nec adeo a muliere semper exigendum esse. Videndum enim, quid res rationesque domesticæ liberorum communium, & rei familiaris ferat, vtrum salua honestate vxor inter peregrinos versari possit, neque isthuc properandum, ut vxor peregrinationem, nec marito, neque sibi vitalem suscipere cogatur: habendamque magis rationem innocentis personæ, u) & utilitatis publicæ, prout arbitri-

u) *Sed hanc limitationem Heigii admittere nequeo. Nam volenti non fit iniuria. Et imputet sibi vxor, quod intercesserit pro Marito, cum sciuerit hoc aliter fieri non posse, quam ut maritum sequatur. Admitterem tamen sententiam Heigii in eo casu, si vxor pro marito adultero sub hac conditione intercedat, si maritus possit in pristino domicilio commorari, quamuis & hic dissentiat Finkelthuf. obferu. Pract. 9. in appendice, sed absque rationibus prægnantibus.*

um boni viri postulabit. In casu tamen, in quo non tenetur sequi Maritum, vxor, viuento eo, Matrimonium cum alio contrahere



trahere nequit. Panorm. *ad cap. de illis X. de sponsal.* Ex + prædi-<sup>15</sup>  
ctis infertur, si modicam Maritus suscipiat peregrinationem, vel  
ex causa se transferat ad alia loca, mutando domicilium, quod  
vxor omnino sequi teneatur, *l. 38. §. 3. π. ad Municip. l. 22. §. 1. eod.*  
*l. vlt. C. de Incol. l. 65. π. de Iudic. l. vn. C. Mulier quo in loc. X. quia +<sup>16</sup>  
eo ipso, dum virum elegerat, etiam domicilium sequi voluisse  
videtur. Tabor. *Anal. l. vn. C. vbi de hered. part. 2. th. 6.* quinimo  
statim ab initio sponsaliorum per parentes in domum viri est de-  
stinata, Gail. *lib. 2. O. 80. n. 10. Schneid. ad tit. I. de Nupt. part. 4. num.**

47. Neque + tamen adoptare, neque arrogare vagabundus<sup>17</sup>  
potest, tum, quia præsentia desideratur, x) *l. 25. §. 1. π. de adopt.*

x) *Hæc ratio nulla. Quidni enim vagabundus præsens esse possit in loco, vbi alium adoptare vult? Dicerem potius, de iure civili ideo non posse adoptare vagabundum, quia non est civis; moribus autem hodiernis, si in viridi observantia esset adoptio, cum differentia inter peregrinum & ciuem intuitu iuris privati non amplius observetur, repetenda foret distinctio inter vagabundos laudabiles & vituperabiles &c.*

tum, quia maxime periculosa adoptato vel arrogato futura esset  
adoptio & arrogatio, cum non solum de alimentis, y) sed & suc-  
cessione futura z) incertus plane constitueretur. Iudicem + ve-<sup>18</sup>

y) *Sed potest quis esse vagabundus & tamen non esse pauper.*

z) *Successio futura in adoptione & arrogatione (excepta arrogatione impuberis) semper est incerta, quia in adoptione liberum est patri adoptanti præterire adoptatum §. 2. Inst. de adopt. l. pen. §. 1. C. eod. §. 14. Inst. de hered. quæ ab intest. in arrogatione vero si emancipatio regulariter admittitur, vti admittitur, etiam successio futura non potest dici certa. Quare nec hæc ratio stringit.*

ro ex Personis, rebus, aliisque circumstantiis arbitrari, & interdū  
vagabundo, veluti si homo frugi, vel ex necessitate in hunc sta-  
tum inciderit quidem, opibus tamen polleat, & certissime ap-  
pareat, adesse propositum, eertam suarum rerum sedem quæren-  
di, adoptandi facultatem dare posse, negandum non est. Sic quo-  
que + vagabundis neque Tutelam neque Curam committi pos-<sup>19</sup>  
se in aprico est. Quomodo enim, qui modo huc modo illuc va-  
gatur, negotia pupillaria vel minorum gerere, administracionis  
ratio-



rationem aa) reddere, damna imminetia præcauere autorita-

aa) *Sed quid si vagabundus (laudabilis) cautionem præstet, quod velit usque ad tempus pubertatis in domicilio pupille manere? Quamuis ob hanc cautionem non desinat esse vagabundus. Igitur mallem dicere: Vagabundus ad Tutelam & Curam non facile admitti, non tamen inde arceri.*

rem, quæ alias non nisi a præsentē bb) fieri debet §. pen. l. de Aut. bb) *Hæc ratio iam reiecta est in præcedentibus lic. x.*

Tut. l. 14. π. iunct. l. 1. in fin. & l. 2. ff. eod. interponere poterit: vt taceam, vagabundum interdum cc) non esse bonæ existimatio-

cc) *Est hæc ratio particularis, ergo non probat sententiam negatiuam vniuersaliter conceptam. Neque enim tum excluditur a Tutela vagabundus vt vagabundus, sed vt male existimationis.*

nis, Decian. *Consil. 82. num. 14. Vol. 3. adeoque cauendum, ne* 2e) *pupillorum, vel adultorum mores inquinentur. De cætero t publice cum inter sit absentium bona conseruari, iisque Curatorem dari l. 33. §. 2. π. de procurat. l. 22. §. 1. ff. de reb. aut. iud. poss. l. 8. l. 6. π. qui. ex caus. in poss. eat. l. 15. π. ex quib. caus. mai. & c. quiuis facile concedet, vagabundorum bonis dd) eundem confid-*  
dd) *Concedo & ego. Sed nescio an Autor ex sua hypothesis id concedere possit, cum supra dixerit c. 1. n. 3. quod vagabundus nullibi rerum suarum certam habitationem constituat & adeo secundum hanc sententiam casus non sit dabilis.*

tui debere, nisi Procuratorem reliquerint, aut sint eius conditionis, vt nulla eis bona acquiri possint, ee) arg. l. 17. π. de pæn. ff)

ee) *Sed quid facit interdicta acquisitio cum relictis? Retinent vagabundi ea, quæ sunt iuris Gentium arg. d. l. 17. de pœnis adeoque etiam retinent bona, quæ possident in domicilio derelicto, nisi bona eorum ob delictum sint fisco addicta.*

ff) *Possunt & circa ius personarum alia quæri. An Vagabundorum filii sint legitimi? An filius liberetur a patria potestate, si pater vagabundus fiat? & c. Huc pertinet, quod Kornmannus de iure virginitatis cap. 17. asserit; virginis perigrinantis, (& ita etiam vagabundæ) non illibatam præsumi pudicitiam, quamuis eius rationes tanti non videantur. Item ea, quæ notat Brunnem. ad tit. C. de domest. & protech. item ad tit. C. de Tyron. lib. 12. Vagabundus*



dum Clericum amittere beneficium, vagabundum non posse fieri Tyronem, vagabundum Scholare esse indignum privilegii Scholarium &c. Adde Corseti singularia, voce vagabundus. B. Patris Disput. de Vagantibus Scholasticis. In his tamen & similibus semper recurret distinctio inter vagabundos laudabiles & vituperabiles. Posset etiam ex Corseti singularibus d. l. huc referre, quasi Dominus concesserit liberam administrationem peculii seruo, & hic vagari incipiat, finita censeatur eius administratio. l. libera administratio ff. de peculio. nisi iam in Disputatione §. 107. & §. 158. Seruos ostenderim non esse vagabundos proprie dictos.

## CAPVT III.

De

## Iure Vagabundorum circa Res.

## SVMMARIA.

1. Res Vagabundorum diuersimode considerantur.
2. Vagabundi acquirunt res quasuis.
3. Non solum ratione dominii, sed & possessionis.
4. Obiectio.
5. Responso.
6. Vagabundi non solum per semetipsos, sed etiam per procuratores acquirunt.
7. Etiam seruitutes.
8. Datur tamen Exceptio.
9. Fit acquisitio a Vagabundo vel inter vivos, vel vltima voluntate.
10. Contractus quoque celebrare possunt Vagabundi.
11. Nec stipulatio excipitur.
12. Nec conductio.
13. Feudum Vagabundus dare potest.
14. Potest etiam a Vagabundo acquiri.
15. Ampliatio.
16. Quid si Feudo iam acquisito vagam eligat vitam Vasallus?
17. Dominus vagus a Vasallo seruitia exigere nequit.
18. Emphyteuta etiam Vagabundus rem emphyteuticariam acquirere & retinere potest.
19. Acquisitio vagabundi in vltima voluntate.
20. Vagabundorum successio ab intestato.
21. Bona Vagabundorum a curatoribus defendi oportet.
22. Proceditur hic eodem modo, sicut in aliis absentibus.
23. Vagabundorum Dispositio de Rebus suis.
24. Amissio rerum ad Vagabundos spectantium.

**R**es + vagabundorum consideramus quoad acquisitionem, ac-  
 quitarum Dispositionem, earundemque amissionem.

Acquirere + possunt Vagabundi res quasuis modo  
 (gg) Arque modo dixerat, a quibusdam vagabundis bona acquiri non posse.  
 Ergo distingue hic iterum inter bannitos aut similes, & reliquos vaga-  
 bundos.



- vel natura, vel lege acquiri non sint prohibitæ, quales sunt res sacræ, sanctæ, religiosæ, liber homo, publicæ §. f. *Inst. de Emt. Vend. Seruus mortuus, hypocentaurus §. 1. Inst. de inut. stip. nec refert corporales sint res an incorporales §. un. l. de corp. & in corp. mobiles an imobiles pr. Inst. de inut. stip. l. 15. §. 2. ff. de Re lud. l. 79. §. 1. π. de leg. 3. idq; non † solum ratione Domini, de quo nullum dubium, cum ipso iure transferatur, sed & ratione possessionis. Nec*
- 3 † quenquam mouere debet, quod absentes, quales censendi vagabundi, possessionem adipisci nequeant, cum ad eam acquirendam solus animus non sufficiat, sed vt actus aliquis corporalis concurrat, necesse sit, l. 3. §. 1. & 3. l. 8. l. 23. π. de A. l. A. P.
- 5 Cui repono, hh) † vagabundos Acquisitione vt tali, & commo-  
 hh) *Paucis. Vagabundus non est absens. Conf. not. lit. x. Aut distingue inter præsentiam, quæ requiritur in præscriptione, & quæ in acquisitione reliqua Domini. Autoris responsio est confusa.*
- ratione ad breue tempus, non definire vagabundos; nam quemadmodum ad Domicilii constitutionem non sufficit, semel aut aliquoties in aliquo loco habitasse, nisi id fieret animo perpetuo in eo loco permanendi, l. 7. C. de Incolis. l. 103. l. 100. π. V. S. l. 65. de iudic. ita si vagabundus aliquantis per exiit alicubi, possessionesque rerum acquirat, non statim hoc ipso suum vitæ genus eum deposuisse credendum est, nisi ex diuturna habitatione contrarium appareat.
- 6 Contingit † autem *Acquisitio* non solum per ipsos vagabundos, verum etiam per eorum procuratores §. 5. *Inst. per qu. pers. cuique acquir. l. 1. C. de A. l. A. P.* modo habeant speciale Mandatum, l. 42. §. 1. π. eod. vel libera ipsis negotiorum commissa sit Administratio §. 42. *Inst. de R. D.* De seruitutibus † quid iuris? Sane si earum examinaueris naturam, apparebit, & ipsas vagabundo acquisitas dici posse, licet enim omnes personis diuerso tamen respectu, debeantur, non tamen præcise necessarium, vt ab ipso vagabundo vtilitas earum percipiatur. Quid enim, si prædium, cui debetur seruitus realis aut vsus fructum locauerit, cesserit, &c; Sane per Conductorem, Cessionarium, Possessionem retineri, indeque commodum ad vagabundum peruenire in
- 8 aprico est, §. 5. *Inst. de Interd. Excipiamus † ergo eas seruitutes,*  
 quibus



quibus non per alium, sed per nos ipsos utilitates capere licet, vsus enim, in primis qui ædibus debetur, vagabundo difficulter, habitatio vero nullo modo eidem deberi potest. ii) Rationem differentiaæ // sic habe, quia vsus ædium magis est ius ab-

ii) Si vagabundus alias seruitutes acquirere potest, potest etiam vsum & habitationem. Nam et si vsus requiratur, ut ipse quis utatur, poterit tamen vagabundus ipse uti, quatenus etiam per aliquot annos saluo iure vagabunditatis, ut ita dicam, in aliquo loco commorari potest. Habitatio vero etiam locari potest l. 13. C. h. t. ergo multo minus presentiam requirit. Illa descriptio Icto indigna: vsus qui ædibus debetur. vsus ædium non debetur ædibus sed persone.

ii) Rationem differentiaæ ego quidem non capio. Quin potius inuertarem argumentum: quia habitatio magis in facto consistit quam iure, ideo magis adhuc eius capax est vagabundus quam vsus. Nam & ideo Ictus dixit, quod nec capitis diminutione pereat. l. pen. de Cap. min.

solutum, cum per se & extra factum utendi considerari potest; Habitatio vero genere quidem suo ius est, sed tamen plurimum facti habet, ita, ut eatenus esse intelligatur, quatenus ipso facto inhabitetur. Bicc. Sect. 2. rer. quod. §. 34. add. C. I. A. de vsu & habit. §. 17. nisi quis asserere velit, ad breue tempus vagabundum inhabitare & rursus discedere posse, eo quod antea demonstratum erat, non nisi ex continua & diuturna habitatione colligi posse, vagum aliam vitam alios mores elegerit.

Potest vero + Acquisitio fieri a vagabundo vel *Acta inter viuos* vel *ultima voluntate*. Inter viuos Occupatione, Accessione, Traditione, Vsucapione, Donatione, aliisue modis, modo Conditio, quæ fecit vagabundum, ab acquisitione eundem non repellat.

Sed & Contractus + eum celebrare posse, expeditissimi iuris est. Nec + stipulationem excipimus, ad quam licet alias presentia opus sit, pr. *Inst. de Verb. Obl. §. 11. Inst. de inut. stip. l. 1. de Verb. Obl. l. 3. de eod.* non tamen præcise Domicilium requirit, presentiam quippe sine Domicilio existere posse a nemine vnquam fuit dubitatum. Aedes + etiam conducere potest. <sup>12</sup> Supra enim in Cap. II. fuit demonstratum, solam in habitationem sine animo permanendi ad Domicilii constitutionem non sufficere. Ideoque nec sola ædium Conductio. Feu-



- Feudum † quod attinet, cum Domicilium non afficiat, a vagabundo dari posse, non ambigitur. An vero † a vagabundo no-  
 13 uiter acquiri possit, dubitari poterat, eo quod si opus habeat  
 14 Dominus seruitiis militaribus, quorum intuitu feuda potissimum conceduntur, 2. feud. 23. sequi non possit. Verum quia Vagabundus fidem, (in qua tantum essentia Feudi consistit, 2. F. 6.) Domino præstare potest, nulla sufficiens adest ratio, cur a iure & facultate feuda accipiendi eundem excludamus. Idque multo † magis procedit, si ab initio talis fuerit Vasallus; Dominus enim personæ inhabili feudum concedendo accipienti semper hanc gratiam fecisse præsumitur, vt vel remissa censeantur seruitia, vel vt per substitutum seruire liceat, arg. c. imperialem §. 1. 2. Feud. 55. Vnde etiam Dominus sibi imputare debet, quod sciens talibus feuda concefferit, arg. l. 23. de muner. l. 19. R. l. Quid si  
 16 † vero Feudo iam acquisito Vasallus vagam eligat vitam, non aliter eum amittere illud, quam ex causis, ex quibus communiter amisio fieri solet, existimauerim. De Domino vero † res certa est, vt quanquam ob vagam vitam directum Dominium non amittat, seruitia tamen a vasallo exigere nequeat. mm) Bertach. is  
 17 mm) Prouocant Dd. hac parte ad arg. legis 20. §. 1. de op. libert. Corset. in sing. voce vagabundus. Sed videndum, annon aliud sit: vagari per orbem terrarum, aliud vagabundum esse. Quid si enim Dominus propter religionem v. g. sit vagabundus & in certo loco subsistat, absque tamen animo constituendi ibi Domicilii.
- 18 Repertor. verb. Vagabundus. Idem † etiam de fundo Emphyteuticario afferendum. Postquam enim Emphyteutam ob rem Emphyteuticariam ad Canonis solutionem Domino obstructum esse nouerimus. §. 3. Inst. de Loc. Cond. l. 2. C. de iur. Emphyt. per se patet, eundem vagabundum Emphyteusiam acquirere, quinimo retinere mm) posse.
- nn) Dissentit Baldus apud Corsetum d. l. argt. l. libera peculii administratio ff. de peculio.
- In vltima † voluntate fit Acquisitio Testamento, Codicillis, M. C. Donationibus. Ex Testamento vagabundum hereditatem capere posse, expeditum est, cum certissimum sit, Testatorem eos, quos nunquam vidit, modo ex alio capite, veluti quod  
 19 sint



sint peregrini, ἀπὸλιδες, l. 1. C. de hered. Instit. non sint incapaces, heredes institui posse, §. fin. Inst. eod. Quam sententiam iuuat, quod hereditas ipso iure post mortem Testatoris heredi instituto cedit, dd. ii. π. & C. de Pet. Hered. Vnde, quocunque terrarum se contineat heres, eam sibi acquirit. Idem etiam dicendum de Codicillis M. C. donationibus. Quinimo legari vagabundis posse, a nemine in dubium vocari poterit oo) arg. l. 60. π. de furt.

oo) Argumentum ex d. l. 60. non video. Quin potius dubium contra omnia, quæ in hoc numero dicuntur, fieri potest ex eo, quod omnes vagabundi videntur iure peregrinorum censeri, cum nullibi habeant domicilium. At cum peregrino de iure Romano non est testamenti factio.

Quod successionem † ab Intestato attinet, seruandus hic idem ordo, qui in aliis, nisi quod fiscus interdum ex causa turpi, veluti Crimine perduellionis, vel simili, vagabundos pp) exclu-

pp) Nescio quo iure Autor filios reorum Criminis Laesa Maiestatis pro vagabundis habeat. Sola exclusio a successione hereditaria ius ciuitatis non auferit. Ergo manent ciues, retinent Domicilium. Ergo darentur

vagabundi, qui habent Domicilium. Nihil est, quod eis impedit, ut adit, & immediate, vocetur l. 5. C. ad L. Iul. Mai. Nihil autem refert, an ipsi vagabundi succedant aliis, an alii vagabundis, quanquam hoc posteriori casu secundum statuta eius loci, in quo decessit, successio institui qq) debeat, arg. eorum, quæ habet Dn. Carpzov.

qq) In mobilibus concedo. In immobilibus obseruabuntur statuta loci rei sitæ. Poterit autem vagabundus quis esse & bona immobilia possidere. Putat tamen Carpzou. lib. 6. Resp. 40. succedi Vagabundo in mobilibus secundum statuta Domicilii originis. Sed male.

Lib. 2. Resp. 25. num. 12. Bona † vero vagabundorum, si nullos reliquerunt Procuratores, a Curatoribus defendi oportet, ne dilapidentur. Publice enim interest, absentium bona conferuari, iisque Curatorem dari l. 33. §. 2. π. de Procurat. Sicut † vero in aliis absentibus vagantibus, ita etiam hic procedimus, vt curam bonorum deferamus sub præstita Cautione, custodiæ eius qui proximior est heres, remotiore excluso, etiamsi infirmi sit iudicii, vel sit infans, aut furiosus. Talis enim cura nihil nisi custodia est, & præmatura successionis occupatio, quæ ob fauorem absentis, & quia autorem Magistratum habet, iure sustinetur l. 137. π. R. I. Carpz. p. iii. Consil. 15. seqq. Tantum de Acquisitione.



23 *Disponere* vero † vagabundum de rebus suis posse, certissimum est, postquam superius longe lateque fuit demonstratum, Dominium in eius persona apte consistere posse; quod tamen limitatum volumus in casu, quo istam vitam ob bannorum, vel similem causam eligere debebat. Sicuti enim ob bonorum confiscationem bona vagi amittuntur: ita per se clarum, nullam quoque de iis disponendi potestatem eidem superesse. Poterat hic quæri, an Testamento de bonis suis disponere valeat vagabundus? & dicendum quod sic, *rr*) si non sit ex eorum genere, qui

*rr*) De iure Ciuili videtur dicendum quod non. Vagabundus nullibi habet domicilium, nullibi est ciuis. At qui peregrinus est, iure Romano non habet testamenti factionem.

facultatem testandi ex causa delicti amiserant, sed ita vt condat secundum statuta loci, vbi testatur. Carpzov. *d. lib. 2. Resp. 25. num. 12.* Quod deinceps vbiuis etiam extra illum locum vim suam extendit. Vinn. *lib. 2. Quæst. 19.*

24 Superest *Amisio* † rerum ad vagabundum pertinentium; quæ vel culpa eius, vel sine ea contingit. Sine culpa amittuntur vagabundorum bona Vsupacione Præsentium, contra quam tamen postea restituatur *l. i. π. ex quib. caus. maiores.* Culpa vero ex causa delicti forte bonorum publicatione. *ss*)

*ss*) Possent & aliæ quæstiones hoc capite moueri: Si monachum vagabundum sub veste Laicali testator putans cum Laicum heredem instituat. An vagabundus in materia præscriptionis pro præsentem, an absente haberi debeat? (vide Strauch. Exerc. 8. th. 14. & quæ ibi dixi in notis. An debitor teneatur sequi creditorem vagabundum? (vide Corsetum in singul. voce Vagabundus, vbi defendit negatiuam, & extendit, vt nec usurarius, qui alias teneatur restituere usuram ei, cui extorsit, teneatur sequi, si vagabundus sit. Sed hic haud dubie confunditur Vagabundus Grammaticæ cum Vagabundo Iuridice dicto.) An si pater vagabundum dederit fideiussorem, admittendus sit? &c.

## CAPVT IV.

De

## Iure Vagabundorum circa Iudicialia.

## SVMMARIA.

*i* Iudicialia considerantur tum quoad Officium iudicandi, tum quoad, ius ac potestatem



*potestatem litigandi. 2. Iudicandi munus Vagabundo iniungendum non est. 3. Ampliatio. 4. Vagabundi litigandi potestatem habent. 5. Hinc possunt agere. 6. Vel per se, vel per procuratores. 7. Possunt & accusare. 8. Imo & Reorum partes sustinere. 9. Vagabundus ubique est puniendus. 10. Ergo non vititur Exceptione incompetentie, vel iuris reuocandi Domum. 11. Potest tamen coram superiori conueniri. 12. Citationes Edictales a iure communi sunt exorbitantes. 13. Vitur tamen iisdem contra Vagabundos. 14. Vxor de facto se a marito separans, domicilium mariti sequatur. 15. In Delictis in loco deprehensionis conueniri debet. 16. Nisi petita remissio. 17. An testes adhiberi possint Vagabundi Q?*

**C**irca iudicialia † vagabundum consideramus tum quoad officium iudicandi, tum quoad ius ac potestatem litigandi.

*Iudicandi † munus quod attinet, non incommode dixeris vagabundo † id iniungendum non esse. Cum enim iudicis*

*tt) Confundit hic Autor semper vagantes & vagabundos. Iudex, Assessor, Actuarius non debent vagari, sed alia questio est: An vagabundus possit fieri Iudex &c. Vbi non queritur, an possit fieri, si desinat esse vagabundus, & eligat in eo loco Domicilium, de quo nullum est dubium: sed quatenus manet vagabundus, (sine vagatione tamen.) Hic preiudicium est, an ad officium iudicis requiratur, ut in eo loco, ubi iudex est, habeat domicilium? Quod de iure communi negandum esse arbitror. Ergo vagabundus poterit esse iudex &c.*

*esse debeat, facta litigantium non solum probe examinare, & si delicta commissa fuerint, diligentissime & accuratissime in ea inquirere, Statuta & mores in primis eius loci, ubi degit, accurate peruestigare, adeoque periculosum esset futurum, si eiusmodi personæ, quæ cum vago animo sæpe vagatur, tam grave munus committeretur. Quod † ipsum non solum ad casum, ubi durante iudicandi munere hanc vagam vitam quis demum elegerit, sed & ad Adseffores Iudicii, Actuarios, Nuncios, similesue personas extendi debet. Quis enim nescit, lites alias protelari, & in infinitum protrahi posse; quod quam valde Reip. sit periculosum, nemo non videt.*



- 4 Cæterum † non oportet dubitari, vagabundos litigandi po-  
 5 testatem ac facultatem habere, adeoque & Actorum & Reo-  
 rum personas sustinere posse. Agere † eos posse, ex principiis  
 iusti apparet, dum ius suum cuique tribuendum, nec distra-  
 hendum ab vllius personæ petitione, *l. 31. §. 1. π. depositi*. Idque  
 6 † fieri potest, tum ab ipsis vagabundis, tum a Procuratoribus  
 eorum. *pr. Inst. de Saisdat*. Sed & † facultas accusandi eis com-  
 7 petit, *arg. l. 4. & 8 π. de accusat*. multoque magis Reum defe-  
 8 rendi, *arg. l. 21. π. R. I.* Sicut † autem vagabundo agendi licenti-  
 am non denegauimus; ita potissimum eundem Reorum partes  
 subire asserendum est. Quid enim si debitor alicuius existat, si  
 delicti reus fiat. Sane Reip. interest, Debitores omnes, cuius  
 cunque sunt generis, ad solutionem compelli, delinquentes  
 9 quoque promeritas accipere pœnas, *l. 22. C. de pœn*. Sed vbi †  
 conueniendus est eiusmodi Reus, qui nullum certum habet  
 Domicilium? Dd. omnes vno quasi ore fatentur, vbique esse  
 conueniendum. Hostiens. *cap. quibus. n. 9. in fin. X. de fov. comp.*  
*Carpzov. lib. 2. Resp. 25.* Vnde dicitur: *vbi te inuenero, ibi te*  
*iudico, Coler. de P. E. part 2. cap. 1. num. 80.* quare interdum Impe-  
 rator ad preces Creditorum contra Debitores vagabundos, in  
 superfluum diplomata vel literas patentes offere Befehl, decer-  
 nere solet, in eum finem, vt vbique locorum in toto Imperio pre-  
 10 hendi, & iuri sisti possint, daß sie auff Recht allenthalben in H. K.  
 Recht angehalten werden mögen. Ruding. *Cent. 3. Obs. 93.* Proinde  
 † non vitur Exceptione Incompetentiæ. Zang. *de except. part.*  
*2. cap. 1. num. 100.* nec competit ei ius reuocandi domum, *uu*)  
 nec etiam alibi domicilium eligere potest. *xx*) Gail. *lib. 1. O. 1.*  
*uu) Limitatio inutilis, quia vagabundus domum non habet.*  
*xx) Intellego, in præiudicium actoris, qui ipsum iam in loco presentie*  
*conuenit.*  
 11 *num. 3.* Poterit tamen † & coram iudice omnium superiori con-  
 ueniri, sicuti de continentia causæ tradunt Dd. *in l. 1. ff. de quib.*  
 12 *reb. ad eund. iud. car. Carpzov. lib. 2. Resp. 25. num. 6.* Ac licet †  
 alias Citations Edictales a Iure communi sint exorbitantes, i-  
 ta vt ad eas non facile liceat definire, Marant. *Spec. part. 6. de Ci-*  
 13 *tat. num. 7.* Fallit † tamen regula, si aliter Citatio non possit  
 in



insinuari, quod omnino contingere videmus, si persona sit vagabunda non habens domicilium, ita vt Actor ignoret, quo in loco personaliter citari possit; Quo casu affigi debet Citatorium Edictum, in illa Ciuitate, vel eo loco, vbi solitus est vagabundus conuersari. Gail. lib. 1. Obs. 57. num. 4. & 5. Sed prædicta † in vxore, quæ de facto a marito se separauit, fallunt, vt nihilo fecius mariti Domicilium sequatur, in eoque citetur: non autem ea, quæ de iure a viro separata est. Gail. d. Obs. 57. num. 5. Quæ diximus, † sine dubio procedunt, si aduersus vagabundum agatur de Contractu vel quasi; quid vero si deliquerit, an in foro deprehensionis conueniendus sit, an reus remittendus? Dicendum, regulariter debere, l. fin. C. vbi de Crimin. in tantum, vt punitus in vno loco non possit puniri iterum a Domicilii Iudice, Coler. Decif. 138. num. 10. Si tamen † petita Remissio, remittendus erit ad forum delicti, Tib. Dec. Tr. Crim. lib. 4. cap. 13. modo delictum sit atrox, & Iudex delicti præuentus, nec obtinet consuetudo, non remittendi tales vagabundos. yy) Id. d. l. cap. 19. num. 17. Cæte-

yy) De iure ciuili, vbi remissiones communiter erant necessitatis, concedo. Hodie vti sunt communiter ciuitatis, ita idem dicendum de remissione vagabundi. Ceterum de foro vagabundi conf. Carpz. Pr. Crim. q. 54. n. 48. & in Processu Tit. 3. art. 1. Farinac. Prax. Crim. Lib. 1. q. 7. n. 13. 14. 16. Sigism. Scaccia de Iudiciis Lib. I. Cap. 34. n. 14. Richterius ad Authenticas Part. 2. p. 436. Ludou. Peguer. Decif. 3. n. 10. vbi defendit, remissiones vagabundorum non esse necessarias.

rum † cum in iudiciis ad probanda negotia testes etiam requiruntur, de vagabundo quæri poterat, an ad Testimonii dictionem admittendus? Et licet existimatio eorum quodammodo læsa videatur, ita vt etiam ad dignitates admitti haud facile possint, Bertach. in Repert. verbo *vagabundus*, Testes tamen fieri possunt, sed tales, qui alias non sunt omni Exceptione maiores, sed solum vel Indicia vel alios Testes adminiculantur. zz) Conf. Mascardus de Probat. Vol. 4. Concl. 1403. Peguera d. l. n. 16. Distinguendum ante omnia inter vagabundos laudabiles & visuperabiles. Ex dictis hoc capite dependet quæstio: an Vagabundus possit



possit conueniri in foro contractus etiamsi ibi nulla bona habeat? Quis probare debeat vagabunditatem? vide ap. Mascard. d. l. Tractat. Gailius de arrestis cap. 8. n. 17. quæstionem: An Dominus propria autoritate subditos vel colonos, fugitiuos Errones aut vagabundos apprehendere & antiquis penatibus restituere possit? Sed iam aliquoties dictum seruos fugitiuos & similes non esse vagabundos proprie dictos.

## CAP. V. ET VLT.

De

## Iure Vagabundorum circa delicta.

## SVMMARIA.

1. Vagam vitam exercere, per se dictum est.
2. Hinc pœna.
3. Quenam in Prouincia Catalonia in Vagabundos sit constituta.
4. Moribus arbitrarie puniuntur.
5. Et quidem secundum statuta loci Delicti, non Deprehensionis.
6. Vagus communia committens delicta, quando puniendus.
7. Quomodo Vasallus Vagus feloniam commississe dicatur.
8. An Emphyteuta vagans & intra tempus legale Canonem non soluens, Emphyteusi priuandus sit?
9. Debitor Vagans in mora sunt.
10. Non tamen Vagante Creditore.
11. In tantum, vt Creditorem querere ne quidem obstrictus habeatur.

1  
2  
3 **V**Agam ꝑ vitam sua sponte exercere, per se delictum esse, nemo est, qui ignorat. ¶ Hinc ꝑ pœna, quæ pro diuersitate locorum variare solet. Sic in ꝑ Prouincia Catalonia con-  
a) Negauit iam in Disput. cap. 2. §. 160. Atque adeo puto, omnes qui principia iuris norunt, Autoris doctrinam ignorare. Vagabundus est, qui non habet domicilium, sed modo hic modo illic subsistit. Vti igitur domicilium habere per se virtus non est, ita domicilio carere non est per se delictum. Quamuis vero & alii hunc errorem errent, & Besoldus voce haußhebltd) ex Peguera dec. 3. moneat, vagabundorum & otiosorum hominum reprobationem a creatione hominis initium suscipere, & hinc in iure nostro magno odio laborare vagabundos, facile tamen patet, otiosos & vagabundos misceri, cum vagabundus esse possit, qui non sit otiosus, & otiosus non vagabundus. Vel etiam vbi in legibus quorundam populorum de pœna vagabundorum agitur, non intelliguntur vagabundi simpliciter, sed vel Cingari vagantes, vel milites  
vagan-



vagantes, vel mendici vagantes. Huc spectat in Henrici IV. Regis Gallie Codice Iuris Ciuilibus libro 32. Titulo 22. de erronibus Bohemis seu Ægyptiis coercendis, & Titulus 23. de erronibus & vagabundis, & quod Dietherrus excerpfit ad Besoldum d. voce: Vagabundos milites & similes non esse tolerandos, l. 52. §. eos C. de Episc. & Cler. vbi plures allegat, & in addit. ad vocem Vagante. Huc pertinent etiam ea, quæ Autor de pœna vagabundorum in Catalonia refert & c. quæ adeo omnia misere hic confusa sunt. Conf. Pegueram d. decis. 3. per integr.

tra vagabundos statuta est pœna fustigationis, vel feruendi in regiis triremibus vsque ad quinquennium, vti testatur Petr. Ca- ball. Resol. Crim. Cent. 2. Cas. 178. num. 12. Paul. Christin. in *Quæst. Pract. Vol. 5. Decis. 78. num. 20.* & Carolus V. Germanorum Imperator Anno 1541. acerbam in vagabundos constituit pœnam, furcam & patibulum, referente Iodoc Damhoud. *Prax. Crim. cap. 153. num. 49.* Moribus † certam in eos pœnam non esse sta- 4 tutam reperimus, ideoque Iudex pro ratione Circumstantiarum vel grauiori vel leuiori pœna procedere potest. Christin. ad LL. *Mechl. Tit. 2. art. 45. num. 4.* Illud † vero extra omnem controuersi- 5 am esse videtur, quod vagabundus delinquendo puniatur secun- dum statuta loci delicti, b) non autem deprehensionis, cum de- b) Hoc semper obtinet etiam in non vagabundis. An vero vagabundus debeat remitti ad locum delicti? tractant Fachineus lib. 9. contr. 24. Berlich. dec. 162. 163. Peguer. d. decis. 3. in addit.

linquendo cum Magistratu illius loci contrahere, l. 20. π. de pœn. & it. *Inst. de Obl. quæ ex del. nasc.* & sic eiusdem pœnæ se subiice- re videatur, Theodor. *Crim. cap. X. n. 7.* De † cætero notandum, 6 siquidem vagus, conditionis suæ tempore communia commiserit delicta, pœnam quoque in ea statutam, luere teneatur, vt vagus Homicida gladio, latro rota, Incendiarius igne afficiatur. De Vasallo notandum, quod vagam eligens vitam Feloniam 7 commisisse, aliter dicendus non sit, quam si animo deserendi Do- minum id fecerit, *arg. cap. Sancimus de Feud. fin. culp. n. amitt. 1. Feud. 21. c. prime §. 2. vers. sed non est, 2. Feud. 24.* Dominum vero vagantem sequi non tenetur, *vid. supra cap. III. num. 17.* Sed † an Emphyteuta c) vagans & intra tempus legale canone non c) *Quæ*



c) *Quae hic sequuntur ad finem capituli, ex regulis institutionum Iuris pertinent magis ad doctrinam de delictis, quae habet Farinacius Prax. Crim. lib. 1. Consil. 99. n. 5. & 32. Qui vagabundus & bannitus est, contra eum facilius ad torturam perueniri potest etiam sine indicibus. Facit textus in l. nam salutem ff. de off. Praef. Vig. Et in l. congruit ff. de offic. praesid. & in C. fin. de rescriptis in 6. & in l. vnic. C. de mend. val. lib. XI. ubi, quod vagatio indicat insolentiam & dissolutionem, & contra vagantes stat omnis praesumptio & c. Nihilominus non reperio iure cautum, quod vagabundus possit torqueri ad sciendum, an & quae commiserit delicta, & multo minus in specie, an receperit mandatum ad occidendum aliquem, si de aliis delictis ac de tali mandato nihil prorsus constat. Solos enim viarum grassatores, fures insignes, & famosos bannitos posse de aliis delictis sine indicibus torqueri, non inficiantur Doctores. Idem Speidelius in voce Gartlundte. Tam latrocinii quam furti indicium est, si qui in publicis diuersortis commorentur vagantes, nec tamen habeant tantum in bonis, ut hos sumtus ferre possint. Sed haec variam limam desiderant adhuc.*

soluens, Emphyteusi priuandus sit, quaeritur. Dist. an ex causa voluntaria an necessaria vagetur? Sin ex voluntaria causa, priuatur omnino, l. 2. C. de Emphyt. iur. Sin ex necessaria, videndum, an ea laudabilis, an vituperabilis fuerit, ita ut casu priori, ob impedimentum iustum excusatur, posteriore non item, quia nemini sua improbitas lucrum adferre potest, arg. l. 5. pr. π. de Calumn. Debitor<sup>9</sup> vero vagantes nec debitum soluentes in mora esse, non dubitatur. Ast<sup>10</sup> Creditore vagante a mora eum liberari patet, quia nemo est, qui recipiat solutionem l. 9. §. 1. π. de vsur. Arum. Tr. de Mora cap. 6. n. 21. Et<sup>11</sup> licet alias Debitor Creditori debitum offerre teneatur, in hoc casu tamen eundem quaerere minime oportet, arg. l. 74. π. de R. l.

Potuissem latius euagare, sed ne limites Disputationis excedam, hic pedem figo.

Soli DEO Gloria !





70  
Hoc 3754  $\frac{d}{=}$

ULB Halle  
002 611 503


3











87/3

CHRISTIANI THOMASII, ICTI,  
S. R. MAI. PORVSS. CONSILIARII INTIMI, ACADEMIÆ FRIDERI-  
CIANÆ DIRECTORIS, PROFESSORIS IVRIS PRIMARII, AC FACVL-  
TATIS IVRIDICÆ ORDINARIJ,

TRACTATIO IVRIDICA  
DE

# VAGABVNDQ,

SEV EO, QVI EST  
SINE

# DOMICILIO,

*Occasione l. 27. §. 2. ad municip.*  
OLIM MENSE DEC. MDCLXXIX. LIPSIAE HABITA.



*Francofurti & Lipsiae*

APVD IMMANVELEM VOGTIVM, MDCCXXXI

